



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Titulus XVII. De raptoribus, prædonibus, incendiariis, & violatoribus  
Ecclesiarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)



(o)

## TITULUS XVII.

De raptoribus, prædonibus, incendiariis, & violatoribus Ecclesiarum.

### CAPUT I.

*Ex Concilio<sup>a</sup> Meldensi.*

**D** illis autem, qui infra parochiam beneficium, aut hæreditatem habent, & alterius Episcopi parochiani sunt, & de loco ad locum iter faciunt, & rapinas, & deprædationes peragunt, placuit ut excommunicentur, nec ante ex parochia exeant, quàm quæ perpetrarunt, dignè emendent: quorum excommunicatio seniori eorum, & proprio Episcopo<sup>b</sup> significanda est, ne eos recipiant antequam illuc redeant, ubi rapinam fecerunt, & omnia pleniter emendent.

#### NOTÆ

<sup>a</sup> *Meldensi.*) Ex quo Concilio *in can. 2.* citatur textus hic à Burchardo *lib. 11. Decreti, cap. 45.* Carnot. *p. 14. cap. 109.* Gratiano *in cap. final. 6. q. 3.* Bernard. Papien. *in cap. 1. hoc tit. in 1. collecti.* de quo Concilio Meldensi nonnulla adduxi *in cap. 1. de consir.*

<sup>b</sup> *Significanda.*) Juxta morem Ecclesiæ, quem probavi *in cap. ad reprimendam 8. de officio ordin.* 2.

Ex hoc textu communiter deducitur, ratione delicti reum sortiri forum in loco ipso, ubi deliquit. Quam conclusionem latè exposui *in cap. postulasti, de foro compet.* Ex quo commentariò præfens petendum est.

### CAPUT II.

<sup>a</sup> *Eugenius III. uni-verso Clero.*

**S**uper eo, quod de raptoribus, & Ecclesiarum violatoribus, atque Presbyteris, qui pœnitentiam eis injungere, vel eorum oblationes contra<sup>b</sup> statutum nostrum suscipere attentaverint, à nobis communi deliberatione statutum est in Concilio cum fratribus nostris: Statuimus in constitutione ipsa Sanctorum Patrum vestigia subsequentes, & autoritate Dei, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli pariter confirmamus statuentes, ut quicumque ex iis raptoribus, qui in urbe suggerente diabolo violenter surrexerint in rapinam, sive Ecclesiarum violationes, qui manifestè deprehensus est, vel amodò fuerit, nisi prius ablata restituat, si poterit; vel emendandi firmam, & plenam securitatem fecerit, pœnitentiæ beneficium eis<sup>c</sup> penitus denegetur. Si verò usque ad obitum, quod absit, in sua contumacia duraverit, & in extremis positus remedium<sup>d</sup> pœnitentiæ humiliter postulaverit, si emendationem, vel emendandi securitatem præstiterit, ac fidejussores, qui oblata restituere debeant, idoneos dederit, ei pœnitentia, & sepultura ecclesiastica concedatur. Qui autem in sanitate obfinatâ mente non pœnituerit, vel emendaverit, & in morte securitatem, ac fidejussores, sicut diximus, præstare nequiverit, pœnitentia quidem parum prodesse videtur, sicut credimus: sed<sup>e</sup> viaticum non negetur. Ita tamen ut nullus clericorum<sup>f</sup> sepulturæ illius interfit, nec ejus<sup>g</sup> eleemosynam præsumat accipere. Quod si quis<sup>h</sup> Presbyterorum, vel clericorum contra statuta nostra in vita, vel in morte pœnitentiam dare, aut sepulturæ illorum interesse, vel eorum eleemosynas accipere<sup>i</sup> attentaverit, si hujusmodi rapinæ participes inventi fuerint, & ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur, & ecclesiastico beneficio careant.



## NOTÆ.

**a** *Eugenius III.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* & post Concil. Lateran. p. 34. cap. 2. ex quo inscriptionem, & literam hujus textus restituo.

**b** *Statutum.*) Forſan in aliquo Concilio ex celebratis ab Eugenio III. quorum meminerunt Severin. Binius tom. 7. *Concil. Corjolan. in ſumma Conſtit. licet in hucusque editis non reperitur conſtitutio, cujus meminit Eugenius III. in præſenti.*

**I.** *Penitus denegatur.*) Hæc prima pars præſentis textus difficilis redditur ex eo, nam pœnitentiam denegare alienum videtur à doctrina Evangelica, & diſciplina Eccleſiæ; cùm quacunque hora ingemuerit peccator, debeat audiri, *cap. agnovimus 26. q. 6. cap. ſunt plures, de pœnit. diſt. 3. cap. quod quidam, de pœnit. & remiſſ. probant Ambianas ad Tertul. de pudic. ferè per totum. Lirin. ad verſus hæreſes, Baronius tom. 2. anno 216. num. 3. & 253. num. 77. & 254. ex num. 38. & 98. & anno 255. ex num. 2. Mendoza lib. 2. Concil. Illiber. cap. 6. num. 46.* Ergo malè in præſenti denegatur pœnitentia. Pro cujus difficultatis ſolutione Gloſſa in præſenti, quam ſequuntur antiquiores, aſſerit hæc verba ad terrorem tantùm poſita fuiſſe. Alii etiam aſſerunt, pœnitentiam denegari raptori reſpectu illius peccati, ita ut de aliis poſſit pœnitentia concedi. Sed hæc ſolutio facilè convincitur ex eo, nam pœnitentia nequit eſſe fructuoſa, niſi omnia peccata remittantur, ut docent D. Thomas q. 86. art. 1. *Sotus in 4. diſt. 15. q. 1. art. 3.* Quare verius dicendum eſt, pœnitentiam in præſenti non denegari, ſed tantùm donec ablata non reſtituantur; quia cùm non dimittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, *regul. peccatum, de R. l. lib. 6. juſtè nolenti reſtituere bona vi ablata, pœnitentia denegatur, cùm non credatur in eo verum aſſeſſe dolorem peccati, cum adhuc contrectet aliena ſine animo reſtituendi, quæ pœna inſolens non eſt in noſtro jure canonico; nam uſuratio etiam denegatur pœnitentia, niſi reſtituat uſuras, cap. ſinal. §. finali, de uſur. lib. 6.* Hoc tamen intelligendum eſt, ſi raptor poſſit reſtituere, aliàs ad pœnitentiam admittitur, cùm ob paupertatem excuſetur à reſtitutione, *cap. olim, de reſtit. ſpol. cap. ſi res 14. q. 6. cap. ſicut dignum, de homicid. cap. cum tu, de uſur. Covar. in regula peccatum, 1. p. §. 4. & poteſt interim ſatiſfacere fidejuſſoribus præſtitis, vel firmâ datâ, id eſt ſecuritate de re reſtituenda, licet aliter firma accipiatur in cap. 2. de locato, cap. ex litteris, de iurepatron. cap. ſecundum 6. ne clerici, vel monach. Clement. 1. de exceſſib. Prælat.*

**2.** *d* *Pœnitentiâ, & ſepulturâ.*) Idem probatur ex cap. ſi res 14. q. 6. cap. ſi quis clericus 12. q. 4. cap. ſi quis membrorum 23. q. ult. cap. falſa, cum aliis, de pœnit. diſt. 5. nec tunc obſtat textus in cap. ſi quis poſitus, de pœnit. diſt. 7. in illis verbis: *Si quis poſitus in ultima neceſſitate aegritudinis ſue voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus, quod bene exit: pœnitentiam dare poſſumus, ſecuritatem dare non poſſumus.* Et cap. idcirco, ead. diſt. ubi D. Cyprianus ait: *Idcirco frater chariſſime pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde reſtantes prohibendos omnino cenſuimus abſpe communicationis, & pacis, ſi in infirmitate, atq; in periculo cooperint deprecari, quia rogare illos non de-*

*liciti pœnitentiâ ſed mortis urgentis admotio compellit: nec dignus eſt in morte accipere ſolacium qui ſe non cogitavit eſſe moriturum.* In quibus doceri videtur in ultimo vitæ ſpiritu pœnitentes nullo modo eſſe audiendos. Nam potiùs verum eſt, in ultimo vitæ ſpiritu de peccatis præteritis pœnitentiam peti poſſe, & juxta dolorem pœnitentis peccata remitti, ut docent Leo in cap. nemo, D. Auguſt. in cap. nullus, de pœnit. diſt. 7. Et idem ſanctus Doctor in d. cap. ſi quis, non docet, deſperandum eſſe de ſalute eorum, qui in ultimo vitæ ſpiritu pœnitentiam petunt, ſed ſolùm non audere promittere illis ſecuritatem; & merito, cùm timeri poſſit, ut Deus illis ſuam denegat gratiam, qui in vita pœnitentiam contempſerunt, juxta illud Prov. cap. 1. ibi: *Quia vocari, & renuſiſti, ego quoque in interitu veſtro ridebo: tunc invocabunt me, & non exaudiam.* D. autem Cyprianus in d. c. idcirco, accipiendus eſt de illis, quos conſtat in mortis articulo non veram, ſed fictam agere pœnitentiam, ut conſtat ex illis verbis: *pœnitentiam non agentes, & docuit Barboſa in cap. nullus, de pœnit. diſt. 7.*

**e** *Viaticum non negatur.*) Sed ſi pœnitentia non prodeſt; quare viaticum præſtatur, cùm ad hoc ut quis admittatur ad Euchariſtiæ ſacramentum, debeat habere primam gratiam per ſacramentum pœnitentiæ: quomodo ergo ſi iſte non accipit pœnitentiam perſequam, admittitur ad Euchariſtiam? Cui difficultati ut ſatiſfaciam, dicendum eſt, raptorem hunc in morte pœnitentiam eſſagitate, ac de peccato commiſſo contritionem habuiſſe, ſed ſatiſfacere nequiviſſe, id eſt non potuiſſe: unde licet ratione contritionis liberaretur à pœna æterna, non tamen à temporalis, quæ pro peccato debetur, ſolvendaque eſt in hæc vita, vel in alia, *cap. quid ergo 23. queſt. 1.* docent Theologi ſcholæſtici in 4. diſtinct. 15. unde ad eam reſpiciens Eugenius in præſenti ait, pœnitentiam parum prodeſſe debere, ſed pro peccato commiſſo viaticum dari, hoc eſt reconciliationem concedi; viaticum enim accipitur variis modis, pro ſacramentis illis videlicet, quæ morientibus prodeſſe poterant: unde baptiſmus in morte collatus appellatur viaticum à ſancto Baſilio in homilia de Baptiſmo: notavit Baſiamon: in can. 18. Concil. Carthag. Sæpe ſæpius accipitur pro Euchariſtia, ut in can. 29. Concilii Nicæni: Concil. Tolet. 1. canon. 18. In præſenti tamen textu, ni fallor, accipitur pro minori reconciliatione. Sciendum enim eſt, quod olim cùm quis excommunicatus, vel alius notorius peccator, qui ob criminis gravitatem debebat pœnitentiæ ſolenni caput ſubdere, ſi in morbum, & vitæ diſcrimen incidebat, illico advocato Presbytero pœnitentiam humiliter eſſagitabat, quam Presbyter non temerè, & ſtatim, inconſulto Epifcopo concedebat, ſed cùm deſperatâ ſalute diem ſupremum ſibi inſtare peccator prævidens, pacem eccleſiaſticam, ac reconciliationem petebat, & tunc Presbyter ipſum reconciliabat, & que reconciliationis minor erat, quæ etiam ſolemniter pœnitentibus, & in tertio, aut quarto gradu exiſtentibus dabatur, per quam fidelium orationum, communionisque eccleſiaſticæ participes fiebant. Et hæc reconciliatio viaticum neceſſarium appellatur à Patribus Concilii Nicæni can. 76. Dicitur verò minor reconciliatio ad differentiam majoris, quæ ſolemnis erat, de qua accipiendi ſunt textus in cap. qui recedunt, 26. q. 6. ibi: *Qui recedunt de corpore pœnitentiâ acceptâ, placuit ſine reconciliatoria*



manus impositione communicare eos: quod morientis sufficit consolationi secundum Patrum definitionem, qui huiusmodi communionem congruenter viaticum nominaverunt. Concilium Ancyranum can. 77. Carthag. 4. can. 9. Gerundense can. 13. Epau. can. 24. Nicænum can. 29. Siricius in epist. ad Tarracon. Tolet. 2. can. 12. docuerunt Albaspineus lib. 1. obs. c. 1. Bosquerus in notis ad Innoc. III. lib. 1. epist. 149. Loaylas in not. ad Concil. Tolet. II. can. 11. Coriolanus in notis ad can. 1. Concilii Illiber. Zerda in advers. cap. 138. num. 7. Menardus in notis ad lib. sacram D. Gregorii. f. 234. D. Joannes de Oratoria de irregul. ex pœnit. p. 2. excursu 1. Sed licet per viaticum pœnitens reconciliaretur, non censetur plenè absolutus, nisi accepta solenni reconciliatione. Concil. Carthag. 4. can. 73. ibi: Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Eucharistie acceperunt, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint. Unde facilè intelligitur præsens textus in verbis suprâ relatis. Nam cum raptor honorum sit excommunicatus, cap. in litteris, hoc tit. & quia publicus, & notorius raptor erat, debebat solenniter pœnitentiam peragere, cap. 1. de pœnit. & remiss. inde ait Eugenius III. ipsam raptorem in ultimis constitutum pœnitentiam petentem, viatico non esse privandum, utpote remedio necessario ad salutem æternam. cap. pœnitentes, 50. distinct. cap. qui recedunt, cap. qui de corpore 26. quest. 6. cap. quod in te, de pœnit. & remiss. Sed quia solennem reconciliationem post satisfactionem non accepit, parum illi prodesse solennitatem pœnitentiæ dixit Eugenius.

4. f. Sepultura illius.) Hoc difficile admodum videtur ex eo principio, quo docemur, pœnitentem etiam in ultimo vitæ spiritu, qui meruit reconciliari Ecclesiæ & fidelium communioni, non posse privari ecclesiasticâ sepulturâ, cap. questum 13. q. 2. junctis traditis in cap. sacris de sepultur. & quæ docuerunt Jacob Durantius lib. 1. variar. cap. 4. & lib. 2. cap. 3. Gamma post decisiones quest. 3. Espenceus de adoratione Eucharistie lib. 2. cap. 2. Jul. Labor. variar. Lucubr. tit. 2. cap. 12. num. 51. Ergo si in præfenti conceditur viaticum raptori, injustè sepultura ecclesiastica denegatur. Cui difficultati ut satisficiant antiquiores repetentes hęc, asserunt in præfenti non denegari raptori sepulturam ecclesiasticam, sed tantùm ne sacerdotes illi intendant, aut eum psalmis cadaver ad Ecclesiam deferant. Sed hæc solutio non convenit disciplinæ canonicæ, cum nunquam legamus, sepulturam ecclesiasticam concedi, prohiberi autem sacerdotibus illi intèrere. Quare verius dicendum est, quod licet ille, cui conceditur Eucharistia communio, regulariter non privetur sepulturâ, tamen plerumque ob gravitatem sceleris, & ut alii terreantur, concessâ communionem denegatur sepultura ecclesiastica, ut in cap. 1. de torneament. cap. monachi, de statu manach. cap. quia in omnibus, de usur. Unde licet in præfenti casu raptori concedatur reconciliatio, tamen justè denegatur ecclesiastica sepultura. Facit textus disertus in Concilio Toletano, anno 1473. tempore Sixti IV. can. 22. Raptores, quos divinus timor à malo non revocat, temporali saltem pœnâ merito sunt puniendi, ideoque sancto approbante Concilio statuimus, ut tales scelerati, quando ab hac luce migraverint, ecclesiasticâ careant sepulturâ; si verò fuerint sepulti exhumantur, etiam si huiusmodi raptores ante obitum sacra-

D. D. Gonzal, in Decretal. Tom. V.

mentum pœnitentiæ receperint; nec pro eis divina dicantur, aut oblationes admittantur.

5. g. Eleemosynam presumat accipere) Quod consequens est suprâ traditis; nam si denegatur ecclesiastica sepultura, per consequens nec oblationes, nec eleemosynæ debent admitti, ut etiam statuitur in cap. de viro 12. q. 2. cap. miror 17. q. 4. cap. eos, de consecr. dist. 4. cap. quia in omnibus, de usur. cap. oblationes, 90. dist. cap. non est putanda. 1. q. 1. & aliis congestis ab Antonio Augustino lib. 15. epit. juris Pont. tit. 23. Rationem assignarunt Carnotensis epist. 186. §. de oblationibus, his verbis: Ne simplicium ex hoc infirmetur conscientia, cum talibus conjecturis existimant bonis eorum malefacta placere D. Thomas 2. 2. q. 86. art. 3. Propter scandalum, ne videatur Ecclesia favere peccato. Plura ad rem Philo Iudæus de monarch. lib. 2. & integro lib. de mercede meretricis non admittenda ad sacrarium. Augustin. in cap. 23. Deuteron. q. 38. Hieronymus ad illud Isaia. c. 66. Qui mactat pecus. Nazianz. orat. 3. Lorinus in d. c. 23. Deuter. vers. 18. docent Suarez de relig. tr. de cultu divino, lib. 1. cap. 6. Lanthmeter. de veteri monach. cap. 40. Mendoza lib. 2. Concil. Illiber. cap. 55. Rosveid. in notis ad epist. 3. Devi Paulini, Albaspinus lib. 1. observ. cap. 5. Sed adhuc hæc pars præfentis constitutionis, ubi prohibetur oblatio, & eleemosynam recipere pro raptore, difficilis redditur ex sequentibus juris principiis. Primum nascitur ex eo, nam eleemosynam à meretrice factam recipi posse, docent Glossa in d. cap. oblationes, Turricrem. & alii in d. cap. non est putanda. Ergo etiam raptoris eleemosyna suscipi debet, præcipuè post reconciliationem. Secundò quia oblationes non solum à peccatoribus, verùm & à Judæis peti, & exigi debent, cap. quanto, de usur. Ergo multò magis raptorum oblationes, eleemosynæque à sacerdotibus recipi possunt. Tandem facit textus in can. 12. Concil. Arelat. 2. ubi agitur de his etiam, qui in fine viaticum receperunt: & aiunt Patres, quod pro eo, quod honorarunt pœnitentiam, oblatio eorum recipiatur. Igitur similiter in præfenti casu, cum raptori viaticum concederetur, eius etiam oblationes, & eleemosynæ admitti debebant. Sed adhuc asserendum est, rectè Eugenium III. in præfenti asserere, nec oblationem, aut eleemosynam raptoris esse admittendam, quia Deus honorandus est de substantia propria, non de aliena. Proverb. c. 3. Quia hostiæ impiorum abominabiles sunt coram Deo. Proverb. cap. 22. Nec dona iniquorum probat Altissimus. Ecclesiastici cap. 34. Nec est eleemosyna faciendâ de illicitè acquisitis: cap. non est putanda 1. q. 1. Nec obstat quod de eleemosyna à meretrice facta dicebamus: nam ea admittenda est: & juxta Babyloniorum ritum meretrices Veneri mercedem obtulisse, constat ex cap. 1. Michea, ibi: Omnia idola ejus ponam in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata sunt. Quod lege veteri prohibitum fuisse constat ex cap. 23. Deuteron. ibi: Non offeras mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui: abominatio est utrumque, apud Dominum Deum tuum. Illustrat. P. Roa lib. 3. sagul. cap. 12. apud Romanos etiam meretrices tempore Caligulæ Imperatoris ex questu meretricio tributum pendebant, id est quantumcumque uno concubitu meruisset meretrix, fisco inferrebat: refert Suetonius in Caligula, c. 40. de quo tributo aliqui accipiunt textum in l. cum quidam 17. §. si fiscus ff. de usur. sed meritò ab eis discedit D. Nicol. de Castro in leg.

D d 3

unic.



*unic. C. de capitacione civium, num. 17* qui videndus est pro ejus interpretatione: & ut ad difficultatem accedamus, dicendum est, discrimen esse constituendum inter eleemosynam factam à meretrice, & factam à raptore; nam meretricis eleemosyna recipitur, quia quæstus meretricii dominium transit in ipsam, adeo ut conditio danti non competat, *l. 2. ff. de condit. ob. turpem*: unde cum dominium ejus pecuniæ habeat, rectè potest de ea eleemosynam facere: at verò raptor dominium rerum vi ablatarum non assequitur, sed penes dominum remanet, *l. 1. ff. de condit. furtiva*. Nec obstat textus in *d. cap. quando, de usur.* loquitur enim Pontifex ibi de oblationibus realsibus necessariis, quæ à Christianis fidelibus fieri solebant ex propriis domibus ratione possessionum ad sustentationem parochi; quo casu Judæi etiam ad ònus hoc reale tenentur, ut docuit Lemaitre *lib. 2. de juribus Ecclesie, cap. 13*. Nec tandem obstat dictus canon. *12. Concilii Arelat. 2.* qui accipiendus est de eo, qui in vita efflagitavit pœnitentiam, atque in Ecclesia solenni pœnitentiæ caput subdidit: pro quo, si ante expletam pœnitentiam, & solennem reconciliationem decesserit, oblationes admittuntur, immò Ecclesia similes oblationes recipiendo, eum restituit communioni, à qua fuerat segregatus, ut docetur in Concilio Vasensi *can. 11. Tolet. 11. can. 12.* observavit Albaspineus *lib. 2. observ. cap. 12.* At in præsentī casu raptor nec pœnitentiam petierat in vita, nec suscepit; unde cum non honorasset pœnitentiam in vita, merito oblatio pro eo non admittitur, juxta dictum canonem *12.*

6. *h. Presbyterorum, vel clericorum.*) Sed quænam differentia adhiberi potest in præsentī casu inter Presbyteros & clericos, præcipuè cum pœnitentiam injungere, oblationes recipere, & sepultura corpora defunctorum tradere sint actus Presbyterorum, non verò inferiorum clericorum? Sed adhuc dicendum est, rectè Eugenium apposuisse non solum Presbyteros, verum & clericos; nam Presbyter propriè accipitur pro eo, qui beneficium parochiale cum cura animarum obtinet. Concil. Chalcedon. *can. 6.* probat Cironius *ad tit. de officio Archipresb.* Clericus verò dicitur, qui capellaniam, aut beneficium obtinet, sacramenta in ea conferre valens, & *cap. Capellanus, de feris, cap. 1. de secundis nupt.* Et si adhuc istes, pœnitentiam dare tantum ad Episcopum spectare, cæteros verò Presbyteros, seu clericos pœnitentiam concedere non posse, *cap. si jubet, cap. si Presbyter 26. q. 6.* plura Ant. Augustin. in *epit. jur. lib. 4. tit. 89 & lib. 6. tit. 42.* Albaspineus *lib. 1. obs. cap. 33. & 34.* Morinus *lib. 2. exercit. cap. 7.* Mendoza *lib. 2. Concil. Illiber. cap. 65.* Cæsar *de ecclesiastica hierarch. disput. 8. §. 2. & §. 5.* Filelæus in *cap. 15. de offic. ord.* Ergo non rectè in præsentī supponitur Presbyteros, vel clericos pœnitentiam raptori bonorum, seu violatori Ecclesiæ dare posse. Ad id respondeo, magnam differentiam versari inter pœnitentiam solennem, & privatam, seu auricularem; solennis enim non nisi ab Episcopo pro gravioribus peccatis, & semel in vita dari potest, ut probant de ea agentes Cironius *ad tit. de pœnit. & remiss. & lib. 1. obser. cap. 6.* Loaylas in *can. 6. concil. Tolet.* Souchetus in *notis ad epist. 228. Carnotens. Lantdmeter lib. 2. de veteri monach. cap. 98.* Gibalin. *de clausur. regul. disquisit. 13. cap. 2. §. 3.* at verò privata, ut sacramentum est, de qua in præsentī

agitur, à quolibet parochio seu Presbytero per Episcopum approbato administrari potest.

*i. Attentaverit.*) Licet conatus regulariter in delictis non puniatur, nec affectus delinquendi, nisi sequatur effectus, *l. cogitationis, ff. de penis l. 1. ff. quod quisque juris*, plura Barbola in *axiom. verbo Affectus*, Robertus *lib. 1. rer. judic. cap. 6.* tamen in atrocissimis delictis conatus punitur, *l. generaliter ff. de calumniat. l. si à servo, ff. de condit. ob. turpem, l. quisquis, C. ad leg. Jul. majest. l. is qui cum telo ff. ad leg. Corn. de sicar. l. si quis nondicam, C. de Episc. & Cleric. probant Fatnac. in *praxi, p. 5. q. 122. num. 14.* Cujac. *lib. 8. obs. cap. 21.* Hothomanus *lib. 11. obs. capit. 18.* Amaya *lib. 1. obs. cap. 2.* Forner. *lib. 3. rer. quotid. cap. 17.* unde cum delictum, de quo in præsentī atrox esset, ideo Presbyteri illud attentantes deponuntur, & beneficio privantur.*

## COMMENTARIUM.

8. **EX** hoc textu sequens communiter deducitur assertio. Raptor manifestus, vel Ecclesiæ violator, si ablata restituit, vel de restituendo caveat in vita, vel in morte, ad pœnitentiam, & sepulturam ecclesiasticam admittitur: si verò noluit cum possit, & in morte non potest restituere, pœnitentiæ concessio, denegatur ecclesiastica sepultura. Quæ assertio per partes probari potest ex *cap. immolans. cap. nemo, & per totam 14. q. 5. cap. si res, cap. compertimus 14. quest. 6.* ex Concilio Matifcon. *can. 7.* Altiflod. *can. 23.* Cabilon. *can. 6.* & aliis congestis ab Ant. Augustin. *lib. 35. tit. 9.* in quibus variis pœnis plectuntur raptores, & Ecclesiarum violatores. Consonant lexio. *tit. 3. partit. 1. lex finalis, tit. 10. ead. partit.* Illustrant Joannes Calderinus in *repetit. ad hunc textum*, Covar. in *cap. alma, p. 1. §. 4. num. 12.* Salcedo in *praxi, cap. 109.* Suarez *de censur. disput. 42. sect. 5. num. 6. & tom. 1. de relig. tract. 2. lib. 1. cap. 6. num. 6.* Sanctus Raymondus *lib. 2. summe. tit. 5.* Corvinus *lib. 4. apborism. jur. Pont. tit. 20.* Murga *tom. 2. disquisit. moral. disquisit. 21.*

9. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Peccata manifesta, publice Impug. que commissa per solennem pœnitentiam debent natur expiari, *cap. placuit 63. §. final. 50. dist. cap. ad tradita monere 8. cap. latorem 15. 33. q. 2. cap. falsa 6. de assertio. pœnit. dist. 5. cap. 1. de pœnit. & remiss.* sed in præsentī peccata fuerunt publicè commissa. Ergo solenni pœnitentia debebant expiari. Augetur hæc dubitandi ratio ex *cap. de viro nefando, 12. q. 2.* ubi cum agatur de quodam raptore, & violatore Ecclesiarum, qui vasa sacra, christina, & alia Ecclesiæ bona surripuit, quæ situm fuit à Nicolao, an si pœnitentiam peteret, recipiendus esset? Et assertio ita admittendum esse, ut uno anno consistat extra Ecclesiam violatam; alio ante fores Ecclesiæ sine communionem maneat; tertio Ecclesiam ingrediatur, & inter audientes ster, non comedens carnem, nec bibens vinum sine oblatione; quarto denique si fructuosior fuerit pœnitentiæ labor, communioni fidelium restituatur. Ergo non rectè in præsentī affirmat Pontifex raptorem pœnitentiam efflagitantem statim ad pœnitentiam admittendum esse.

10. Quæ dubitandi ratione non obstante vera est prætens assertio, pro cuius expositione sciendum est, rapinam esse violentam ablationem rei mobilis factam dolo malo, animo lucri faciendi. Et licet vis generalis



generaliter dolum includat, l. 2. §. doli, ff. de vi bonor. raptor. l. 14. §. cum qui metum, ff. de eo quod metus; tamen quia aliquando datur vis sine dolo, ut contingit in vi iuste illata à Magistratu, l. 3. §. 1. ff. de eo quod metus, l. 4. ff. de statu hominum: ideo in præsentī definitione ultra vim adijcitur dolo malo: & signanter ponitur dolum malus, quia plerumque res aufertur vi, & absque dolo malo, ut contingit in domino, qui repetit rem propriam, sibi licere existimans eam propria autoritate occupare: quia enim dolo malo non facit, nec lucri faciendi causā, sed tantum juris ignorantia recuperandi animus habet, raptor dici non potest, lib. 2. §. hæc actio 18. ff. de vi bonor. rapt. Sed ne homines privati jus sibi dicant, cautum fuit constitutione Theodosii & Arcadii, ut si dominus id fecerit, dominium rei amittat; sin non dominus, non solum rem, verum & ejus æstimationem restituere compellatur, l. si quis in tantam 7. C. unde vi. Similiterque Imperator Marcus constituerat, ut si creditor debitori vim fecisset debiti extorquendi gratiā, amitteret jus crediti, l. penult. ff. ad leg. Jul. de vi privata. l. exat. 13. ff. de eo quod met. caus. Dixi etiam rei mobilis, quia res mobilis debet esse, ut rapta dicatur; immobilis autem rei, quemadmodum nec furtum, ita nec rapina fit, quia nec ferri, auferrive valet, l. 1. §. 2. C. de vi bonor. rapt. circa eam ergo tantum datur invasio, cujus causā vel interdictum competit, vel conditio triticaria, vel iudicium publicum legis Iulie, l. 1. ff. de vi & vi armat. l. 7. C. eod. lib. 2. ff. de condit. tritic. l. 3. §. final. ff. ad leg. Jul. de vi public. Omnis ergo vis, sive publica, sive privata, constituere potest rapinam à furto contradistinctam, nec aliter se ad furtum simplex habentem, quam includens ad inclusum. Tota enim furti quidditas reperitur in rapina, nam furtum essentialiter constituitur per ablationem injustam rei aliena. Quod autem ea ablatio sit occulta, spectat dumtaxat ad modum auferendi accidentarium; unde accidentaria aliqua distinctio, non autem specificatio furto advenit, itaque tota furti substantia rapinæ innititur, adjunctā insuper novā injusitā in personam, propter vim ei illatam: quæ injusitia est differentia rapinæ intima, & essentialis, ut proinde furtum & rapina asserantur specie differre. Ex his constat, quam gravius simplici furto sit crimen rapinæ, quod latè confirmat Gabriel in 4. dist. 15. quest. 3. adducens textum in cap. pœnale 14. q. 5. perspicuum autem est multo acerbius delictum esse; siquidem ex parte raptoris inferentis injuriam major audacia, & iniquitas se prodit, propterea sanctus Chrysost. homil. 10. in 1. ad Thessalon. affirmat raptorem propter vim, & violentiam maximam injuriam inferre, his verbis: *Illud vis est & violentia, ut facilius quis mille talenta sponte dabit, & nihil se passum esse putabit, quam ut tres obolos præter animi sententiam abreptos manjue ferat.* Genera raptorum varia sunt. Alii effratores sunt, qui domos, aut horrea furandis causā effringunt, aut parietes perfodiunt, l. 1. §. simili modo, l. 2. ff. de effrat. quos describit Juvenalis inter incommoda urbis satyr. 2. Alii sunt latrones, & grassatores, qui ferro obsident latera viarum, spolianteque obvios. Prædones alii, qui prædas agunt, inter quos, & latrones nihil interesse existimavit Accurtius in l. hostes 118. ff. de V. S. Sed contrarium rectius docuit Cujac. lib. 15. obs. cap. 31. Galli prædones appellant Burgandos, à Burgando

insigni prædone, qui in partibus Aquitanicis tempore Nicolai I. violentas deprædationes etiam in Ecclesiis exercebat, ut refertur in dist. cap. de viro 12. q. 2. Vel Brigandos à Brigantibus populis Hiberniæ latrocinio, & prædæ deditis, de quibus Tacitus lib. 2. annal.

Deinde sciendum est contra raptores varias esse proditas actiones, tam criminales, quam civiles. Et primò datur publicum iudicium legis Iulie de vi: si vis facta sit armis, de vi publica: si sine armis, de vi privata, l. 1. §. 3. ff. ad leg. Jul. de vi privat. l. 3. l. penult. ff. ad leg. Jul. de vi public. §. item lex, Instit. de public. judic. Secundò actio legis Corneliæ de sicariis, si rapinis cædes mixtæ sint, aut furti faciendi causa cum telo quis ambulaverit, l. 1. ff. ad leg. Corn. de sicar. l. 2. 3. §. 4. C. eod. tit. Datur etiam iudicium publicum legis Iulie de sacrilegiis, & peculatu, si quis ædes sacras, aut ærarium effegerit, l. 4. §. mandantis, l. 6. 9. §. 11. ff. ad leg. Jul. pecul. etiam extra ordinem raptorem accusati posse, constat ex l. final. ff. de privat. delict. l. 1. §. 1. ff. de incendio & ruina. Civiles quoque actiones in raptorem dantur: prima inter annum utilem in quadruplum; post annum in simplum. Quadruplatur autem verum rei pretium, non etiam quod interest: nec quadruplum totum pœna est, sed inest quadruplo rei persequutio, l. 2. §. in hac 13. ff. de vi bonor. raptor. princip. Instit. eod. tit. §. vi autem, Instit. de action. Sed nec in omnes bonorum raptores pariter animadvertitur; nam distinctio adhibenda est inter manifestos, & nec manifestos. Raptor manifestus is dicitur, quem dominus agnoscit, & deprehendit sua rapientem, & appetentem: nec manifestus, qui cautè vim infert, ut si ab absente domino fores ipsius effringat, & intus grassetur, l. si quis uxori. §. ult. ff. de furtis. Raptor autem, sive manifestus, sive non manifestus, is intelligitur, qui vi, dolo malo, & coactis hominibus armatis deprædatur, l. 2. ff. de vi bonor. raptor. Utrique eadem pœna imponitur, l. 1. ff. eod. cap. in antiquis 12. q. 7. Sed quia hæc pœna proveniens ex publico iudicio, scilicet ex lege Iulia de vi privata, levior erat, quam pœna furti, Prætori visum fuit dare electionem, utrum adversus manifestum raptorem quis actione furti privata agere velit, an verò actione vi bonorum raptorum ex lege Iulia, d. l. 2. §. 2. ne minorem pœnam exigeret, quam si cogere agere publico iudicio vi bonorum raptorum. Contra nec manifestum raptorem idem non procedit, cum pœna nec manifesti furti sit in duplum; fatius enim erit tunc agere vi bonorum raptorum in triplum, ut docuit Papinianus in l. si vendidero, §. cum raptor, ff. de furtis. Raptor ergo manifestus existimandus est, qui conveniri potest ex lege Iulia, & plecti in quadruplum actione privata manifesti furti: si verò collectis hominibus armatis ita callidè, & dolosè versatus sit, ut non fuerit deprehensus, tunc furti nec manifesti pœnā, quia levis est, non punitur, sed potius vi bonorum raptorum. Quem juris civilis ordinem sequutus est Eugenius in præsentī, innuens gravius agendum esse cum raptore manifestè deprehenso: de quibus iudiciis & eorum cursu videndi sunt Reati-gui lib. 3. select. cap. 5. Donel. lib. 15. comment. cap. 30. Cujac. lib. 17. qq. Papin. d. l. 80. §. cum raptor, ff. de furt. & lib. 12. qq. Pauli in l. 10. ff. de dolo: & observandi sunt textus in l. 5. C. de navicular.

II.  
De pœnis raptorum.



*libr. 11. leg. 2. ff. de extraordin. cognit. l. 44. ff. de acquir. poss. l. 1. §. 3. ff. de publican. l. si roganda. §. 1. ff. de prescript. verb. leg. §. alea. ff. de alea.*

12.  
Tradi-  
tur ra-  
tio de-  
cidendi.

His suppositis apparet ratio presentis assertio-  
nis; nam cum raptor honorum non solum teneat-  
ur de peccato commisso penitentiam facere, &  
ita Deo satisfacere, verum & pro damno illato  
in proximum satisfacere, & bona ablata resti-  
tuere, *cap. cum tu, de usur.* ideo asserit Eu-  
genius, raptorem etiam penitentiam petentem  
cogendum esse restituere, precipue cum non dimit-  
tatur peccatum, nisi restituatur ablatum, regula  
*peccatum, de R. l. lib. 6.* & si cum potuit, restituere  
noluit, postea tamen in ultimo vite spiritu po-  
situs, cum restituere non poterat, penitentiam  
petierit, reconciliatio illi non est deneganda, sed  
sepultura ecclesiastica non est concedenda, ut sic

alii terreantur, & cum possunt, ablata resti-  
tuant.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, nam  
procedit quando publicus peccator sanus peni-  
tentiam petit pro crimine gravi, & notorio, ex  
quo caeteri fideles scandalum passi sunt; nam tunc  
procedit principium textus in *di. l. cap. 1. de penit.*  
& *remiss.* videlicet ut peccata publice commissa  
publice desinant: at verò in presenti casu rap-  
tor penitentiam petebat in ultimo vite spiritu,  
unde reconciliatio illi conceditur; quia quacun-  
que hora ingemuerit peccator, audiendus est;  
juxta supra tradita: sepultura autem non conce-  
ditur, quia cum potuit, restituere noluit. Unde  
cum in *di. l. cap. de viro,* agatur de penitentia so-  
lenni injungenda purgando publico raptori, idem  
Nicolaus formam penitentiae solennis prescri-  
ptam illi injungit.

13.  
Dissol-  
vitur  
dubi-  
tandi  
ratio

### CAPUT III.

#### Ex Concilio Lateran.

EXcommunicationi quoque subdantur, qui Romanos, aut alios Christianos pro  
negotiatione, vel aliis honestis causis navigio vectos, aut capere, aut rebus suis  
expoliare presumunt. Illi etiam, qui Christianos naufragium patientes, quibus  
secundum regulam fidei auxilio esse tenentur, damanda cupiditate rebus suis  
expoliare presumunt, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se noverint sub-  
jacere.

#### NOTÆ.

**L**ateran.) Ita etiam legitur in prima colle-  
ctione, *sub hoc titul. cap. 2.* ubi additur  
*pars capituli. Ita quorundam,* unde cognoscitur in  
presenti referri secundam partem textus in *cap.*  
*ita quorundam, de Indeis,* & integer canon extat  
in Concilio Lateranensi celebrato sub Alexandro  
III. *cap. 24.*

**b** Negotiatione.) De plena securitate, qua  
gaudere debent negotiatores, etiam tempore bel-  
li, *legi in cap. 2. de treug. & pace.*

**I.** **c** Damnanda.) Ita legitur in prima colle-  
ctione, & in ipso Concilio locis supra citatis. Sed  
in hac sexta collectione legitur *damnata:* forsan  
alludit Raymundus ad authenticam *navigia, Cod.*  
*de furtis:* & hac lectio poterit retineri, quae  
displicebat Anton. Augustino in *notis ad hunc*  
*textum.*

#### COMMENTARIUM.

**2.** **P**RO hujus textus expositione nonnulla præ-  
mittenda sunt de naufragiis, & naufragorum  
bonis. Et primò sciendum est, merces, quæ sub-  
stat tempestate, & levandæ navis causâ in mare  
proiciuntur, manere in dominio eorum, quo-  
rum fuerant, nec haberi pro derelictis, *leg. qua*  
*ratione, §. final. ff. de acquirendo dominio.* Ratio  
est, quia ad levandam, salvandamque navim pro-  
pter necessitatem in mari proiciuntur, *l. 2. §. fin.*  
*leg. qui levandæ, ff. ad leg. Rhodiam, l. quæcunque,*  
*ff. de acquirendo domin. l. interdum 21. §. 1. ff. de ac-*  
*quir. poss. §. final. Insti. de rerum divisione.* Inde  
provenit, ut qui eas surripuerit, furtum com-  
mittat, cum dominus non animo delinquendi

eas projecerit, *in eum, authent. navigia, C. de fur-*  
*tis, l. 1. & per totum, ff. de incendio & ruina.* Ex-  
plicat Capola *de servit. cap. 27.* Pancirolo *lib. 1.*  
*variar. cap. 57.* Pinel. *lib. 2. select. capit. 9. num. 1.*  
Gomez in *l. 45. Tauri, num. 61.* Nec contrarium  
probat textus in *l. falsus 44. §. si jactum, ff. de fur-*  
*tis,* de cujus solutione videndi sunt Amaya *lib.*  
*2. observ. cap. 7. num. 24.* Pinel. *lib. 2. select. cap.*  
*9. num. 1.* & in hac parte observandi sunt textus  
in *l. 3. §. 1. ff. de incendio & ruina, l. final. §. 1. ff. de*  
*muner. & honor. l. qui servandarum, ff. de pra-*  
*script. verb. l. penultim. ff. de rerum divis. l. 2.*  
*Cod. de naufrag. lib. 1. l. 3. §. Labeo, l. Pomponius*  
*44. §. idem, ff. de acquirend. poss. juncto Amaya*  
*lib. 2. observ. cap. 7. num. 25. l. final. §. 4. ff. de pub-*  
*lican. l. 55. ff. de condit. & demonstr. l. 58. ff. de ac-*  
*quirend. domin.*

Deinde sciendum est, licere propria auctori-  
tate merces navi vectas in mare projicere, quia id  
communis salutis causâ, & ob bonum commu-  
ne totius navis fit, ut etiam arceudi ignis cau-  
sâ licet vicinas aedes incidere absque eo, quod  
actio in factum, vel legis Aquiliæ detur, *l. 3. vers.*  
*idem ff. de incendio & ruina l. si quis sumo, §. 1. ff.*  
*ad leg. Aquil.* Verum si pereant merces ita iacta-  
tæ, simile damnum non est tantum illius, cu-  
jus merces tantum iactatæ sunt, sed commune  
totius navis, & quilibet, qui se, mercesque suas  
inde salvas fecit, tenetur pro rata ad contributio-  
nem, juxta legem Rhodiam, de qua in *leg. 1. &*  
*3. ff. ad leg. Rhodiam: leg. item 13. §. 1. leg. in na-*  
*vem 31. ff. locati, leg. si quis fullo 45. §. 1. ff. ad leg.*  
*Aquileam.* cujus legis historiam, & capita refert  
Morisotus *lib. 1. orbis marit. cap. 30.* Ratio est,  
quia æquum videtur, ut commune sit damnum  
eorum, qui ob res focii in mare iactatas suas  
salvas fecit, *leg. 2. §. aquisimum, ff. ad leg. Rho-*  
*diam.*

3.  
De lege  
Rhodia.



diam. Circa quam contributionem observandi sunt textus in l. qui servandarum, ff. de praescript. verb. l. 3. §. ait. ff. nauta; cauponas, l. Pomponius 4. §. 1. ff. de acquir. domin. l. 2. §. 1. ff. de negot. gestis, l. si ex legati 23. ff. de V. O. l. in conductu, C. si certum petatur, l. 55. ff. de condit. et demonstr. l. 4. §. 9. ff. de adilit. edit. l. final. C. de naufrag. lib. 11. l. 3. §. est et alia, ff. quod vi aut clam, cum lege 3. §. si quis 45. ff. ad leg. Aquil. & pro illustratione difficultis textus in l. deprecatio, ff. ad leg. Rhodiam, videndi sunt Amaya lib. 1. observ. capit. 1. numer. 70. D. Joannes Ramos in analect. ad ipsum textum, I. Gothofr. in opuscul. ad eundem textum, Mancinus lib. 3. de triplici juris collat. cap. 214. Salcedo ad D. Thomam de regim. Princip. lib. 3. cap. 13. dissert. 39. D. Josephus de Retes lib. 8. opusc. cap. 19.

Deinde sciendum est apud varias gentes, praecipue barbaras, in usu fuisse, esseque, vel ex eorum constitutionibus, vel ex veteri corruptela, ut naufragantium bona, quae ad eorum litora appellerent, vel in eorum portus colliderentur, fierent filici, five quod idem est, publicarentur. Curtius Fortunatianus lib. 3. artis Rhetoricae, ibi: Nulla certior definitio est, quam naufragantium bona esse publicanorum, id est eorum, qui publica velegalia, aut portoria conducta habebant. Soperter in Athonium, pag. 107. Alludit Juvenalis satyra 4. Res filici est ubicumque natat. Quam legem apud varias Septentrionales gentes in usu fuisse probant Grotius lib. 2. de jure belli, cap. 7. §. 1. & in notis Salmut. ad Panciroliam lib. 2. memorab. tit. 11. Guillelmus Benedictus in cap. Raynuntius, de testamentis, Verbo uxorem nomine Adelaesiam, numer. 935. Rebuffus ad leges regias, glossa 5. numer. 74. Hinc querela in naufragii raptorem mari ipso saeviore. Paulinus ad Macharium epist. 36. Ne patiaris invidiam diaboli per hominem improbum. Secundiano eripi, vel jam ereptum negari, quod illi de naufragio redonavit Deus: procurator Christiani viri, fratris nostri Posthumiani esse dicitur, quia eam navem in Brutorum litore, quo possessio Senatoris aluitur, adlapsam, avariorum mari, & sine mioparone piraticam in terra agere occupavit, & captam vacuescit; nam etiam nunc in ipso litore inanis manet, ut damnum oneris frustra in pelago servati. & in terra perditum contestetur: de postea jam saepe apud judicem provincialem super hoc partrocino querela, sed Pharaonoster induravit cor suum. Immo de Graecis & aliis politionibus populis idem notat Fornerius ad Calliodor. lib. 4. epist. 7. Immo & hoc jus ad territorii quoque dominos translatum fuisse probat Dadinus Alespera de Ducibus lib. 2. cap. 13. Nec his naufragis parcebat Agathensis Episcopus in ora maritima Orcitaniae: quare reus postularus fuit apud Innoc. III. in cap. cum dilecti, de accusat. & crudele hoc latrocinium solere ad Rupellam exerceri, refert I. Bielius lib. 1. observ. sacrar. cap. 6. Nimirum si gravior tempestas in navem aliquam incubuerit, & magna ex parte fractam in litus ejecerit, miseros naufragos eo tantum nomine, quod nondum plene miseri sint, tetriciori tempestate in litore subjacere, omnibusque fluctibus ipsis reliqua fecerant, occurrentium direptioni patientibus. Quam immanitatem Honorius Papa in rescripto ad Hildebertum Cenomanensem (est inter ejus epistolas 67.) acerrime corripuit, & quotannis fulmine Apostolico damnari iussit;

hancque censet Theophilus Raynaudus tom. 4. de vitis, libr. 3. sect. 3. cap. 6 fuisse primam originem percellendi anniversario anathemate diripientes naufragorum bona, fortassis quod non ad Rupellam dumtaxat, sed alibi quoque eadem barbaries locum haberet. Certè jam olim apud Britannos idem in usu fuisse constat ex Hildeberto Cenoman. epistola 95. In Stadenfi ora idem viguisse scribit Albertus Stadenfis: sed & in Bruciorum litore idem observatum fuisse constat ex dicta Epistola sancti Paulini, ubi Fronto, & Duceus hanc immanitatem paucis, sed luculenter exagitant. Et quidem adeo invaluit lex haec, ut non tantum res, verum & homines quoque ipsi ex naufragio servati filici commodis adscripti in servitutem abducerentur. Cujus rei exemplum habemus apud Abbatem Stadensem pagin. 153. ibi: *Friderici avia, & mater de Anglia navigantes in Comitatu Stadenfi naufragium passae sunt, & secundum prisca juris rigorem, tam homines, quam res regia ditioni sunt mancipati.* Et statim: *Quasviti in sententia, an licite possit vindicare sibi mancipium suum ubicumque reperiret: & cum lata esset sententia, quod possit, dedit magnam alapam clerico.* Et tandem ait: *Avia & mater sub pretextu naufragii servituti sunt addictae.*

Apud Romanos in primis lege Cornelia deficiatis poena statuta fuit adversus eum, qui naufragium suppresserit, leg. 3. §. item is 4. ff. ad leg. Corn. de sicariis, & ex rescripto Antonini, testante Ulpiano in leg. ult. ff. de incendio & ruina, unicuique licuit naufragium suum colligere: quod rescriptum extat in leg. 1. Cod. de naufrag. lib. 11. Dum enim viris doctis placuit, non Constantini, sed Antonini esse illam constitutionem. Quas causas breviter, levatoque velo esse decidendas Imperatores Honorius & Theodosius sanxerunt in leg. de submersis 5. Cod. eod. tit. quae in Theodosiano est 6. Inter legem Corneliam, edictumque Antonini Senatufconsultum intercessit factum Claudiani temporibus, ne naufragus opprimeretur, nevé clavus unus ex naufragio supprimeretur, leg. 1. §. ultimo. leg. 3. §. final. cum l. sequenti, ff. de incendio & ruina; in cujus legis 4. §. 1. Antonini aliud rescriptum proponitur, quo gravissimae poenae statuta sunt in naufragii, naufragorumque direptores: de cujus legis sensu, & lectione agit cum judicio Petrus Faber lib. 2. semestr. cap. 5. pagina mibi 59. Anterior alia constitutio Hadriani refertur a Calistrato contra possessores praediorum juxta litora maris, in leg. nec 7. eodem tit. qua tanquam latrones puniuntur, qui aliquid ex naufragio subripuerint, aut suppresserint, edictumque Praetoris, de quo in leg. 1. ff. eodem tit. & in leg. 18. Cod. de furtis, eos punit in quadruplum tanquam raptores, qui ex hoc infortunio, vel ex hac calamitate aliquid rapuerint, vel receperint, vel retinuerint: quam quadrupli poenam reperio etiam sancitam inter leges Rhodiorum, cap. 48. & in l. 18. tit. de furtis, libr. 7. legum Visigoth. notavit Petrus Gregorius libr. 37. synagm. cap. 3. quod edictum Praetoris imitatus postea fuit Imperator Leo Philosophus, more solito prudentiam Romanorum taxans; sed immerito, quasi ex aequo non punierint eos, qui naufragos expoliaverint, ac eos qui res ex naufragio suppresserint, sed hoc falsum est, ut patet ex constitutionibus supra laudatis, maximè ex lege Cornelia

5.  
De jure  
Romanorum.

de



de ficiariis. Sanxit ergo Leo novellâ suâ 64. ut in quadruplum suppressor teneretur; sed & quod ait, olim capitaliter, sive pœnâ mortis punitum fuisse qui res ex naufragio diripiisset, non video undè collegerit, quippe legis Corneliæ de ficiariis, nec edicti Antonini tam gravis pœna non fuit. Sed ad rem nullus asperius in direptores naufragii animadvertit, quàm Andronicus Comnenus Imperator, qui Imperium arripuit ad annum Christi M. C. LXXXIII. occubuitque malè à populo mulctatus, immò mactatus anno M. C. LXXXV. ut comperiunt Baronius, Gualterus, & alii Chronologi. Hic prout iracundus, asper & inexorabilis erat, sed iustitiæ tenax, ut ex gestis ab eo constat: & videns jam in pravam consuetudinem abisse apud Romanos, eosque solos, ut naves tempestate in litus eiecit, non modò à nemine adjuvarentur, sed ab accolis quovis turbine favoribus diriperentur, iniquissimâ isti rationi tam acriter est adversatus, & ita piraticam illam rapacitatem compescuit, ut hæc una res amplissimas ejus laudes complectatur, orationeque in Senatu, & coram Proceribus habita ita sanxit: *Si quis vestrum nostra auctoritate Magistratum aliquem gerit, si quis fundos maritimos possidet, is primum seipsum deinde subditos quoque ad iustitiam, & imperii nostri observantiam, ac reverentiam confirmet: ut autem pœna quoque modum noveritis. quam edicti mei contemptor luet, in malo navis pendebit: si malum marinus fluctus deturbaverit, in alto litore, editaque specula altissima arbori affigetur.* Hæc ex Niceta Coniate libr. 2. de vita Andronici Comneni, ubi prout est floridus, & amœnus, amplificationibusque, & figuris gaudet, multa in detestationem hujus crudelitatis, & in commendationem hujus edicti Imperialis scribit omninò legenda. Sub idem tempus Fridericus Oenobardus, qui imperavit ex anno 1150. usque ad annum 1190. ut constat ex iisdem Chronologis, navigarum non multò dissimilem in occidente tulit, quæ in corpus juris redacta est, *authent. navigia, C. de furtis, cap. 4. de consuetudine, in 5. compil. illaque sancitur, ut qui res ex naufragio diriperit, suppresserit, retinuerit, publicatione bonorum puniatur, & extraordinariæ subiaceat pœnæ, prout audacia efflagitaverit, id est arbitrariæ, ut sentit Menochius de arbitr. casu 297. quem, aliosque sequitur Farinac. utiliter videndus 3. part. prax. crimin. tit. de furtis, quæst. 168. cap. 4.*

6. Ex quo facilè suspicor, tam in Oriente, quàm in Occidente pravum morem viguisse illis temporibus occupandi res naufragio deperditas, licet dominus cognosceretur, & quæ forsitan in litora, vel portus perveniebant, sive navigia ipsa essent, sive merces, ut supra probavi, & constat ex Siranio Sopatro in *Hermog.* & ex Juvenali *satyra 4.* qui tamen potius taxat tempora, morelque sæculi Domitiani torâ illâ satyrâ, & frequentissimas delationes; quàm propriè loquatur de naufragiis.

*Si quid Palphurio, si credimus Armiliato, Quidquid conspicuum, pulchrumque est aquore toto.*

*Res fisci est ubicunque natat: donabitur ergo, Ne pereat, &c.*

Ergo terribilis ille mos à Græcis, Barbarisque jam olim usurpatus, novissimis temporibus in terris utriusque Imperii serpere cepit, donec prædictis duabus constitutionibus averruncatus

fuit. Non ita tamen apud Rhodios receptum erat, ex quorum lege quidquid levandæ navis causâ eiectum erat à naufragis, aut timentibus naufragium, veteribus dominis restituebatur, *l. 1. & 2. l. qui levanda 8. ff. ad leg. Rhodiam, l. falsus 43. §. si jactum, ff. de furtis.* Cum qua Rhodiorum lege convenit rescriptum D.D. fratrum in *l. finali, §. si propter. 8. ff. de publican. & veltig.* qui rescripserunt, ad publicanos non pertinere, quod in mare jactatum fuit navis levandæ causâ: ergo pristino domino restitui debent, ut jam supra probavi. Inde etiam publicani habitantes insulas Cycladas maris Ægæi, voluerunt diripere Eudæmonem, & socios Nicodemienfes naufragium facientes circa Icariam, quæ est una ex Cycladibus, in *l. deprecatio, ff. ad leg. Rhodiam de jactu:* quibus Antoninus consulit præcipiens, ut eorum causâ lege Rhodiorum decideretur, in quantum Romanis institutis contraria non esset; quod fuit jubere, ut sua cuique propria restituerentur, secundum quod ipse Antoninus rescripserat in *l. 1. C. de naufrag. juncta l. final. de incendio, & ruina.*

Sed quod Fornerius, & alii existimant ex *l. 2. & per totum serè C. de naufrag. & ex eodem titulo in Theodos. lib. 13. tit. 18.* post biennium, & ex novioribus constitutionibus, post annum, non fuisse jus repetendi res suas illis, qui naufragium passi fuerant, sed apud occupatores remanere, adeo incertum est, ut nihil à vero sensu illorum textuum magis distet; loquuntur enim de periculo corporis, collegii, cæteris navigulariorum publicas species transportantium, à quo liberantur, si probent ex facto naufragii, vel naves, vel merces jactatas perisse, nisi præcedens culpa sit ipsores, qui postea sustinuerunt naufragium vel ex levi causa merces jactarunt; quo in casu adhuc post naufragium sustinent periculum, *l. ult. sic intelligenda, C. eod. tit. vel si in tempore navigationis præstituto non navigarunt, l. quoties 3. C. Theodos. eod. tit. ibi: Placuit sane, ut Novembri mense navigatione subtrahita, Aprilis qui astat est proximus, susceptionibus applicetur, cujus susceptionis necessitas ex Kalendis Aprilis in diem Kalendarum Octobris mensura servabitur, & in diem Iduum earundem navigatio porrigitur.* Quo alludunt verba textus in *l. notique 6. §. 1. ff. de rei vindic. ibi: Sin autem petitam tempore navigationis trans mare misit. Et in l. qui petitorio 36. in fine, eod. tit. ibi: Et qui navem a se petitam adverso tempore navigatum misit, si ea naufragio perempta est, & pactum, quo Callimachus promisit intra idus septembris navigare in Syriam, merceque reparare. Apud Scævolum in *l. qui Rome 122. §. 1. de verb. oblig.* quod ad hunc textum observavit Alciatus *lib. 10. parerg. cap. 19.* ne mare antè clauderetur: de quo ritu expressius quàm alii Flavius Vegetius *lib. 4. de re milit. cap. 39.* verba sunt: *Phœnicæ de cursu, id est ab ortu Pleadum, à die 6. Kalend. Iun usque ad Aëturi ortum, id est in diem 18. Kalend. Octobris, securâ navigatio creditur, quia astatis beneficio ventorum acerbitas mitigatur: post hoc tempus usque in 3. Idus Novembris incerta navigatio est, & discrimini proprii: propterea qui a post Septembr. Idus oritur Aëturus vehementissimum sydus, VIII. Kalend. Octobris æquinoctialis eventus acerbâ tempestas, circa nonas verò Octobris hædæ pluviales, VIII. ejusdem Taurus: à Novembri autem mense crebris tempestatibus navigia conturbat. Vergiliæ autem hæmalis occasus**



casus. Ex die igitur III. Id. Novembris usque in diem 8. Id. Martii maria clauduntur; nam lux minima, noxque proluxa, nubium densitas, aeris obscuritas, ventorum imbricium, vel nivium geminata sevitia non solum classes à pelago, sed etiam commeantes à terrestri itinere deturbat: post natalem verò (ut ita dicam) navigationis, qui solenni certamine, publicoque spectaculo multarum gentium celebratur, plurimorum siderum, ipsiusque temporis ratione usque in Id. Majas periculose maria tentantur. Servius ad illud Virgilio primo Georg. versu 137.

Navita, tum stellis numeros, & nomina fecit,  
Pleidas, Hyadas, clarumque Licaonis  
Arcton.

Sic ait: Pleiades signum est ante genita Tauri, quod ortu suo primum navigationis tempus ostendat; dicitur ab eo, quod est pleo navigo, latine Vergilia dicuntur à verni temporis significatione. Hyades sunt in fronte Tauri, quod ortu suo concitant pluvias, latine succule dicuntur. Alia testimonia ibidem adduxit eximius Zerda numer. 23. Lunaque, sive Diana sic alloquitur Aupulejum lib. 11. suam transform. non procul à principio: Diem, qui dies ex ista nocte nascetur, aeterna mihi nuncupabit religio, quo sedatis hybernis tempestatibus, & lenitiis maris procellosis fluctibus, navigabili jam pelagorudens dedicantes carinam primitias commeatu libant mei sacerdotes. Et paulò inferius: Inter hac, & festorum victorum tumultum paulatim progressi jam proximamus ripam maris, atque ad ipsum illum locum, quo pridie meus stabulaverat asinus, pervenimus: ibidem simulacris rite dispositis, navem saberrime factam, picturis miris Aegyptiorum circumseptum variegatam summus sacerdos cada lucida, & ovo, & sulphure solennissimas preces de casto presatus ore, quam purissime purificatam Deo nuncupavit, dedicavitque: hujus alvei felices mittens Carbasus litore vomum in estans progerebat, &c. Cicero lib. 2. epist. ad Q. frat. epist. 5. illic: Erat autem iturus, ajebat, ad III. Eid. April. ut aut Labrone, aut Pisis descenderet: tu mi frater simul ac ille venerit, primam navigationem, dummodo idonea tempestas sit, ne omiseris. Et prope finem: Tuas mirifice litteras exspecto, atque adhuc clasum mare scio fuisse, sed quosdam venisse Ostia dicebant, qui te, &c. Alia videas apud Ferretum de re navali lib. 11. §. 2. & 3. Ilanthen Seldenum in prefat. ad libros maris clausi, Henricum Salmut. ad memorabil. Pancirol. lib. 2. titul. 11. pag. 239. Carranzam in tractat. de la reduction de las monedas, 1. part. cap. 2. §. 2. pag. 45. & 46.

8. Nulla tamen constitutio expressius quam novissima Frederici de naufragiis cavet; ita enim naufragis prospexit, eisque bona restitui iussit; si non essent ex his, qui piraticam exercent, vel imperii, nominisque Christiani hostes sint, sive ut textus loquitur, inimici, id est qui diversas partes sequuntur: quamvis inter utrumque populum bellum actualiter non sit; quibus bona non jubentur restitui, si patiantur naufragium. Videamus tamen quibus ex veteri jure Romano hæc bona adjudicantur? Placet mihi ita distinguere sub eruditorum censura: Si hostes populi Romani naufragium faciebant,

publicanis hæc bona judicari, qui publica fisci conducebant, probat non male textus jam allegatus in dict. l. ultim. §. si propter 8. ff. de publicanis; alioquin nullus erit locus dubitationi, si nulla essent omnino naufragia, quæ ad publicanos pertinerent: quò etiam tendit commodius intellectus Fortunatiani locus supra relatus, in quo nullam esse certiore definitionem tradit, quàm naufragium ad fiscum pertinere: si cives, & subditi, & focii, qui eadem partes in bello sequebantur, naufragabant, ipsis restituenda esse naufragia, compertum est ex legibus, & constitutionibus supra relatis. Quod si gens naufragium passa sit, cum qua nec bellum erat Romanis, nec fœdus pacis inierant, sed omnino exteri erant, quamvis homines capti ab eis servi capientium fierent, ut constat ex l. postliminium, §. in pace, ff. de captivis, notavit D. Josephus de Retes lib. 6. opuscul. cap. 4. numer. 1. post desiderium Heraldum lib. 1. animadv. ad Salmasium, capit. 3. numer. 9. contra Grotium lib. 3. de jure belli, capit. 9. numer. 18. tamen miseræ, & naufragantium misericordiæ puto datum fuisse, ne res ipsorum opprimerentur, subtraherentur, publicarentur: quod ita probo. Olim lege Cornelia de ficiariis vindicatum fuit delictum eorum, qui naufragium superferrent: mox pœna repetita fuit Senatûconsultis factis temporibus Imperatoris Claudii, deinde Hadriani constitutione; item quadrupli pœna ex auctoritate perpetui edicti, tandem Antoninus acres pœnas imposuit adversus eodem direptores, vel occultatores, ut supra notatum manet: & post hæc omnia laudatur simpliciter ejusdem Antonini rescriptum, quod naufragium facientibus res suas restitui iussit, nullâ in contrarium pœnâ impositâ. Ergo ut hoc rescriptum dignum sit laudibus, quibus solet extolli, immò ut alicujus momenti sit, debet de naufragiis peregrinis exterarum nationum accipi, erga quos misericordiores fuerunt Romani, quàm si naufragium non fecissent, ne genus crudelitatis ipsis reputaretur, ultra naufragium velle sevitire, ut usurpem Cassiodori verba lib. 4. epist. 7. quod forte sensit Hugo Grotius magni iudicii auctor lib. 2. de jure belli, cap. 7. §. 1. ubi docet à ratione naturali abhorere leges civiles, quæ naufragorum bona fisco addicunt, quia jus suum alicui auferre sine causa, mera injuria est; adducitque locum Euripidis in Helena: *Suum, inquit, naufragos spoliare, quod genus est nefas*: Dionis etiam Prusienfis orat. 7. *Abst, ô Jupiter, ut lucrum captemus tale ex hominum infortunio*. Quibus testimoniis annectit dictam legem 1. C. de naufrag. quæ solam inter homines naturalem cognationem redolent, nec peculiarem justitiam inter concives respiciunt. Ergo denotat, esse contra fas, & contra justitiam omnibus hominibus naturaliter debitam bona naufragii exteri diripere, subripere, occultare: & ita, ut censeo, etiam de jure Romanorum ex Antonini constitutionibus à naufragorum præda fiscus, & privati repulsi fuerunt, ne ex aliena calamitate, compendium facerent, l. 1. C. de naufragiis, ibi: *Nihil juris habere fiscum in aliena calamitate, ut ex re tam luctuosa compendium quaerat*. Et pœna generaliter proposita fuerunt in direptores earum mercium, earumque usucapio, aut collectio omnibus



omnibus verita fuit, leg. 1. leg. 4. §. ultim. ff. de incendio, l. ultim. Cod. de naufrag. leg. 21. §. 1. ff. de acquir. possess. l. 9. §. ultim. l. 4. de acquir. domin. ita ut nunquam in commissum, aut fiscum cadant. l. 16. §. si propter. ff. de publican. l. 7. ff. pro derelict. l. 2. ff. ad leg. Rhodiam de jact. Unde in rescripto, quod extrat in synopsi Basilic. libr. 53. tit. 8. ita legitur: *Si quando naufragio navis expulsa fuerit ad litus, vel si aliquando aliquam terram attingerit, ad dominos pertineat, & fiscus meus sese non interponat, quod enim jus habet fiscus in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sceleretur? Quia ut aiebat Cassiodor. libr. 4. epist. 7. Ferina inhumanitatis genus est ultra naufragium velle deservire. Quam mente Insulanus Euboicus naufragorum deprædationis crimen sibi objectum, ut nimis inhumanum, & à se longè alienum detestatur apud Dionem Chrysostomum in Eboic. orat. 7. ibi: *Nunquam enim mihi obtingat à Iupiter, accipere, & facere tale lucrum ex hominum infortuniis. Sed vix ficus, nedum privati, manus abstinere à captura, & direptione naufragorum: qua re commoti Fridericus III. in authent. navigia C. de furtis, & Leo Imperator in novell. 64. legem de naufragis non attingendis repetierunt, & pravam consuetudinem legibus adversantem damnarunt. Humaniores quoque Principes ditas hujusmodi consuetudines paulatim edictis favoribus abolere conati sunt. In Oriente etiam naufragorum spoliatores acriter repressit Andronicus Comnenus propositâ pœnâ suspendi à malo navis, vel in litore maris è procera arbore. Nicetas in Andron. libr. 2. ibi: *Cum autem apud Romanos, eosque solos (ut opinor) iniquissima consuetudo valeret, ut naves tempestatibus in litus ejectæ, non modo à nomine adjuvantur, sed ab accolis quovis turbine sevirioribus diriperentur, si qua finctus reliqua fecerant, iniquissimi isti rationi tam acriter est adversatus, ita piraticam illam rapacitatem compescuit, ut hæc una res ejus amplissimas laudes complectatur. De Henrico Rege Angliæ hæc refert Guilelmus Neubrig. libr. 4. histor. Angliæ, cap. 26. pag. 372. Antiquam inhumanam circa naufragos consuetudinem in ipsis regni sui initiis eximia pietate correxit, atque hujusmodi hominibus ab aegoreo discrimine liberatis humanitatis officium exhiberi præcipiens, graves in eos pœnas sanxit, qui fortè illis in aliquo molesti esse, vel de rebus eorum quippiam usurpare presumerent. Quid verò Scythis contigisset, qui fortunarum expilatione, & cæde naufragorum opes cumulabant, refert Joan. Cantacuzenus apolog. 2. ibi: *Scythis mos erat Deo suo eos, qui ex naufragiis salvati erant, immolare, quotquot saltem deprehendi possent. Sic quos propria servaverat solertia, illorum trucidabat crudelitas.****

9. Necnon Romani Pontifices, ut huic labi menderentur, partes suas interposuere, & naufragorum res religionis præsidio tutas præstare omnino studio contenderunt. Gregorius 7. lib. 5. epist. 14. & in Concil. Roman. can. 5. ait: *Quoniam Dei judicio nonnullos naufragio perire cognoscimus, & eos quasi legali jam jure, immò diabolico instinctu ab his, à quibus misericorditer sublevari, & consolari debent, depradari conspiciamus: statuimus & sub anathematis vinculo, ut à prædecessoribus nostris statutum est, jubemus, ut qui naufragum quemlibet, & bona illius invenerit, se-*

*curè tam cum, quàm omnia sua dimittat. Paschalis II. in Concilio incerto, canon. 9. ibi: Quicumque res naufragorum diripiunt, ut raptores & fratrum necatores ab Ecclesia limitibus excludantur. Hildebertus Episcopus Cenoman. in epist. 65. ad Honorium II. ibi: Siquidem usque in diem præfati conventus Synodi Nannetensis hujusmodi consuetudo in terra Comitum existerat, ut decedente marito, vel uxore, universa decedentis mobilia in proprietatem Potestatis transfrent: præterea quicquid evadebat ex naufragiis, totum sibi fiscus lege vindicabat patria, passim naufragium miserabilis violentia Principum spoliabat, quàm maris rapina, quàm procella. Utramque autem exactionem sub oculis votius Concilii Comes in nostram manu deposuit, postulans in eos excommunicationis gladium extendi. Quod decretum plenius confirmavit Honorius II. epist. 67. apud eundem Hildebertum, ibi: Iniquum censemus esse, ut quem divine clementiæ magnitudo à sævienti pelagi voracitate exemit, hominum sæva rapacitas auderet spoliare. Præterea Imperatorum cæcavit auctoritas, ut etiam earum rerum, que in tempestate maris levandæ navis causâ eiciuntur, non amittatur dominium; non enim eas quis eo animo abiecit, quod habere noluit, sed quod periculum effugere possit: & qui res ipsas lucrando animo abstulerit, furtum commisit. Tandem Alexander III. in Concil. Lateranensi. canone in præfati relato, & in capit. quorundam de iudeis, statuit, ne Christiani Sarraçenis arma vendant, ne ipsos navigio vectos quiquam spoliare præsumat; & ut etiam illi, qui Christianos naufragium patientes damnata cupiditate spoliant rebus suis, nisi ablata reddiderint, excommunicationi subiaceant. Cui constitutioni asiam dederunt piratæ, latrunculi que nequissimi, qui navigantes Christianos, & in ipsorum litora appellentes, non mitius, liberaliusque tractant, quàm Turcæ, aut Sarraçeni, adversus quos ut armis decerent, Principes Christianos monuit, ipse verò pro Pontificia jurisdictione excommunicavit. Appellat enim latrunculos istos, vel à patria, vel ab sceleribus, his nominibus, Brabantiones, Arago-neos, Navaros, Basculos, Corerellos: & Mathæus Paris. in epitom. hujus Concilii, ad annum 1179. ita titulum fecit: *de Ruptariis, & Brabantis, & Prædonibus, qui fideles affligunt.* Et paulo post: *Ne Christiani Sarraçenis arma vendant: nec patientes naufragium quisquam spoliare præsumat.* Itaque quod Petrus Abbas Cluniacensis enixè efflagitaverat ab Everardo Magistro Templariorum, & à Summo Ecclesiæ Præsule Eugenio III. libr. 6. epist. 27. & 28. qui sedit ex anno 1145. usque ad annum 1153. nec fuerat exequutus, ad effectum perduxit Alexander in præfati: observavit Baronius anno 1179. Et licet hujus excommunicationis abolitio in præfati non sit reservata à Romano Pontifice, extat tamen referata in §. 4. Bullæ Cæne Domini, in qua quotannis excommunicatio profertur in eos, qui turpiunt Christianorum naufragorum bona, sive in navibus existentia, sive ex eisdem ejecta, sive in litore inventa, cujuscumque generis bona sint, & in quocumque mari inventa, non obstant quovis privilegio, aut consuetudine. Docent Duardus in expositione Bullæ, libr. 2. cap. 4. Frago-lo de regim. Christi. Reipub. in dicto §. 4. Bullæ Cæne Domini, Castro Palao operis moral. dist. 3. punct. 5.*



punct. 5. numer. 5. Scortia in select. Pontific. constit. epit. 4. theorem. 7. Gibalinus de censur. in synopsi, verbo Naufragantium. Ex quo primò apparet, posse justificari leges Principum, vel Rerumpublicarum, quæ naufragorum bona, si de domino sciti possit, fisco addicunt; quia sunt contra iustitiam naturalem, ut docent post Azonem in summa, C. de naufragiis, Navarrus in manuali, c. 27. n. 60. ex n. 118. & alii relati à Barbofa in presenti, n. final. Rebuffus ad leges Regias, glos. 5. n. 74. Covar. in Regul. peccatum, 3. part. §. 1. n. 5. Joannes Gutier. l. 2. canonic. cap. 9. ex num. 20. Grotius lib. 2. de jure belli, cap. 7. §. 1. Solorzanus lib. 6. polit. Indis, cap. 6. pag. 963. Hæc excommunicatio non incurritur, nisi eo animo res naufragi occupata sit, ut invito domino retineatur, secundùm quod accipienda est pœna, quæ propter naufragium occultum imponitur Agathensi Episcopo in cap. cum dilecti 18. de accusat. Unde in prædictam excommunicationem non incidunt, qui ea occupant, ut restituant; vel qui ignorantes profus dominos, vel existimantes res pro derelicto haberi, illas sibi detinent: quippe injusta acceptio, & solus malus animus punitur. Aloysius Riccius in praxi var. resol. 191. & totidem ferè verbis Zerola in praxi, verbo Naufragium, Barbofa in presenti, numer. 7. Cessat etiam adversus eos, qui res occupant Christianorum fidelium naufragium facientium, si hostes tamen sint illi populo, & genti, quæ occupat; quia tunc occupatio ex jure belli justificatur. Sylvester in summa, verbo Excommunicatio 7. num. 55. vers. Vigesima est. Ex quo non invenio Auctores, qui bona ignotorum naufragantium, quæ omnino incerti domini sunt, suadeant ut pauperibus distribuantur; sed stando in terminis juris naturalis ea addicunt occupanti absque ullo restitutionis onere faciendæ pro anima naufragi; quod Doctores supra citati potius supponunt, quam exponunt. Mihi tamen hæc sententia probatur ex eo, quia hæc bona ut possunt esse, vel fuisse concivis amici Christiani, ita possunt esse hostis publici, infidelis Turcæ, aut piratæ; quæ jure belli cedunt occupanti. Ergo in hoc dubio juris, & facti melior est conditio occupantis, ut nulli, nec nullo modo restituere teneatur, nec pro anima naufragium facientis.

10.  
De jure  
regis  
Regio.

Sed ut ad jus nostri Regni circa bona naufragorum perveniamus, glossa incerti Auctoris in cap. dispensationis 16. r. quest. 7. verbo Descriptimus, quæ Reges Hispaniæ taxat, qui naves fractas occupabant, de naufragi rebus nihil loquitur; & tamen de toto naufragio illam accipiunt Joannes de Platea in dict. lib. 1. Cod. de naufrag. lib. 1. Guillelmus Benedictus in cap. Raymunt. verbo uxorem nomine Adelasiam, num. 374. Haud difficile id credo, si mores illorum temporum spectem, ita etiam apud nos increbuisse, cum iidem, & destabiliiores vigerent in aliis provinciis. Verùm legem nullam invenio, quæ ita jussit: potius referam contrarias. In primis habemus legem i. tit. ult. lib. 4. fori legum, quæ ante præclarum opus juris Septempartiti edita fuit, vel ab Alphonso X. vel à Ferdinando III. ejus patre, non multò post Concilium III. generale Lateranense. Ita in ea sancitur: Si nave, ò galera, ò otro navio peligrare, ò quebrare, mandamos que el navio, y todas las cosas que en el andaban, sean de aquellos cuyas erin antes que el navio quebrasse, ò peligrasse: y ninguno no sea osado

de tomar ninguna cosa de ellas sin mandado de los duennos, fuera si las tomare para guardar, y darlas a sus duennos. Y antes que las tome en esta guisa, llame a el Alcalde del lugar, si lo haver pudiere, y otros hombres buenos, y escribanlas, y guardenlas todas por escrito, y por quenta, y de otra guisa no sean osados de las tomar: y quien de otra manera las tomare, pechelas como de furto. Eſto mismo sea de las cosas que fueren echadas del navio, para aleviarlo, ò cayeren, ò se perdieren por alguna guisa. Idem, expressiùs tamen, sancitur in l. 7. tit. 9. part. 5. abrogatis privilegiis, moribuique, vel immemorabilibus etiam consuetudinibus in contrarium observatis, vel vigentibus, utpote contra jus naturale, & iustitiam: Fuera (inde inquit) sitales cosas fueren de los enemigos de el Rey, ò de el Reyno; ca est once quinquier que las fallasse, deven ser suyas. Quod jure communi dectum non invenio; in multis enim leges septempartitæ jus commune ampliaverunt, suppleverunt, & explicaverunt, lib. ex fori, quæ totidem verbis repetita extat in lib. 3. tit. 12. lib. 6. ordin. & in lege 9. tit. 10. lib. 7. Recopil. Sed prout pravi mores citò subrepunt, aliquod cœpit extorqueri petitionis, sublevaminis, aut hospitii nomine ab illis, qui naufragium facientes navi fractâ, aut convulsâ in portum appellebant, en nombre de Picio, ut dicit lex i. tit. 12. lib. 6. ordin. aut Pecio, ut legitur in sumario legis septempartitæ, vel Precio ut hodie extat in l. 11. dict. tit. 10. lib. 7. compilat. Præfero tamen priorem lectionem; Picio enim significat petitum etiam hodie apud aliquos rusticos, qui veterem linguam tenacius retinent. Hanc consuetudinem averruncarunt sub gravissimis pœnis Catholici Reges Ferdinandus, & Elizabeth in dict. l. 10. & 11. unde difficile est credere aliam esse gentem, quæ tam exactè, benigneque naufragis providerit, ut nostra: si quid verò contra sit, contra leges & contra Principum voluntatem fit.

Ex quibus legibus patriis possunt decidi quæstiones, quæ in praxi solent apud nos esse frequentes, præferim in his, qui naufragium patiuntur in navigatione ad Indos; solent enim alii perspecto loco naufragii argentum, & alia pretiosa inde post aliquos annos extrahere per urinatores, non sine maximo opere, periculo, & expensis. In primis si ex signis, sigillisque, quibus vectores utuntur, potest certâ, vel morali probabilitate sciri de vero domino rerum, qui non sit hostis, vel pirata, illi, hæredibusve ejus restituendæ sunt, ad quos naturâ pertinent, tam ex jure communi, aut Regio, quam ex ipso jure naturæ: nam propter naufragii casum aliquem rebus suis spoliare mera injustitia est, ut dixi. & ita supremum Indiarum Consilium decrevit in auro, argentoque extracto per Franciscum Mexiam ex naufragio, quod fecit classis Indica anno 1626. omne enim aurum, argentumque, cujus domini potuerunt agnosci, dominis restitutum fuit, solutis extractionis expensis, ut refert judicatum Solorzanus lib. 6. polit. cap. 6. pag. 965. certò enim sciebatur, non hostium esse, sed Hispanorum, qui vehebantur in navi, cui nomen la Margarita, in cujus submersa carina inventum fuit. Secundò, supposito quod Princeps noster habet jus prohibendi navigationem per mare Indicum, ut probavit D. Josephus de Retes lib. 7. opuscul. cap. 1. numer. 6. potest quæri, si non impetrata Regis nostri facultate, ut semper faciunt aliqui, per urinatores extrahant

II.  
Resol-  
vuntur  
varia  
qua-  
estiones.

E e divitias



divitias naufragio deperditas, vel ab antiquo, vel de quarum dominis sciri moraliter non possit factis omnibus diligentis, utrum illas licite retineant, & securi sint quoad forum interius, tanquam de rebus partis secundum jus naturale? In qua quaestione, quam nondum excogitaram, ne dicam disputatam ab alio inveni, ita philosophandum censeo. Verum est annulorum, lapidum, & aliarum rerum pretiosarum, quae naufragio in flumen decidunt, possessionem statim amitti, quia deficit facultas, & facilitas eas retinendi, aut repetendi pro libito: dominium verò non amitti, quia ejus retentio non pender à facultate retinendi rem, sed à jure, l. Pomponius 13. in princ. de acquir. possess. junct. l. 3. §. Nerva, eod. tit. quod valet, ut quoad Dominus inveniri possit, nemo eas sibi possit retinere sine crimine furti: quando verò de domino prorsus ignoratur, non puto hæc bona esse comparanda bonis adespotis, quæ dominos amiserunt, sed illis, quæ communia sunt per naturam, quia nunquam dominos habuerunt, & per consequens cedunt occupanti, juxta superius dicta. Ratio est, quia flumina, & multò magis maria censitorum vice funguntur; & quæ occupant, faciunt publicas; quæ deserunt, privata. In summa omnis res illam induit qualitatem, quam habet flumen, vel mare, quod illam occupavit, l. Aristo, penult. de rer. divis. l. ergo 30. §. alluvio 3. de acquir. rer. domin. l. 1. §. si in insula 6. cum sequent. de fluminibus: explicant, ne immoremur, Guillelmus Fornerius lib. 3. sect. 2. cap. 2. alique apud Osualdum ad Donell. lib. 4. cap. 27. litera C. ergo cum mare naturà commune sit, erit etiam quicquid mare occupaverit, postquam privatum dominium amisit. Deinde à posteriori, quia si prorsus ignoratur cuius sit, potest esse hostis, & pirata. Cum ergo hæc jure belli cedant occupanti ex jure gentium, consequens est, ut etiam licite retineantur, secundum hoc jus: nec Principis prohibitio impedit dominii acquisitionem ex re naturà communi, quamvis prohibitum subiciat aliis poenis, quas in prohibitione imponit. Quod mihi probat textus in leg. Divus Pius 16. de servitut. rustic. prad. ubi Callistratus refert constitutionem Imperatoris Antonini Pii ad Aucupes emissam, quæ sanxit, ne quis aucupandi, vel venandi causâ fundum alienum ingrederetur invito domino. Pone de facto, & prohibente domino ingressum fuisse venatorem, vel aucupem, & in alieno fundo avem, vel feram cepisse: quaeritur cujus sit, capientis, an domini fundi? Et sanè cessante prohibitione palam est, aves, vel feras captas in alieno fundo proprias fieri capientis, quia non sunt ejus, in cujus arbore infederint, sed in libertate, & laxitate naturali permanent, & per hoc nullius sunt, & capienti acquiruntur, leg. 3. §. 1. ff. de acquir. dom. leg. si apes 26. de furtis: docet expressius Cujacius lib. 4. observat. cap. 2. Accedente verò prohibitione non aded expressè decisa est quaestio, ut habeamus alicujus Jurisconsulti responsum, quod eam in propriis terminis determinet. Accursius tamen in d. l. Divus 16. resolvit, prohibitum tene-ri domino fundi actione in factum ad instar propter damnum datum glebæ, frugibus, aut arboribus, leg. in laqueum 55. ff. de acquir. dom. & actione injuriarum propter contumeliam, aut contumaciam justè præcepti contempti, l. injuria-

rum 13. §. ult. ff. de injur. facere tamen propria nihilominus animalia capta, quia cum per prohibitionem propria non fiant domini fundi, sed in libertate adhuc naturali permanent, consequitur, ut capienti acquirantur, nec illa domino fundi restituere teneatur, tam in foro interiori, quam exteriori. Docent idem cum Accursio, Welsembchius post veteres Legistas in comment. ad tit. de acquir. dom. num. 7. Forcatulus in alveario jur. cap. 4. num. 3. multisque aliis laudatis Lessius lib. 2. de justit. & jur. cap. 5. dubit. 8. cum duabus sequent. & cum nuperis Moralists Eligius Bassæus in floribus, verbo Venatio, ex num. 4. Tapia 2. tom. catene mor. lib. 5. quest. 26. art. 5. Igitur si prohibitio venandi in fundo proprio neutro in foro impedit acquisitionem dominii, multò minùs impediet in mari, quod naturà omnibus patet, acquisitionem dominii rerum extractarum.

Tertio frequentissimè solet quaeri, an bona ex naufragio ejecta, vel extracta à privatis, quorum prorsus domini non apparent, fiant Principis, tanquam regalia? Et sanè non dubito, quin hæc possint fieri regalia, ut piscatio, uniones, & similia, quæ ex mari extrahuntur: nec dubito, quin apud multas nationes, & regna inter regalia connumerentur, ut ex fide historica memorat Grotius lib. 2. de jure belli, cap. 7. §. 1. De Regno Neapolitano, in quo dicitur esse expressam constitutionem, tradunt Ponte decisi. 21. num. 3. Mastrillus de Magistratibus lib. 3. cap. 10. n. 93. & de Regno Franciæ Guillel. Benedictus in cap. Regnum, verbo uxorem, num. 374. apud quas nationes leges illæ servandæ erunt, quia supposito totali defectu dominii, non sunt injustæ; immò & longi temporis consuetudines hoc regale inducentes ex eadem ratione debent observari, quas ferè apud universum orbem inolevisse testantur Chopinus de dominio Franciæ lib. 1. tit. 6. à num. 9. Petrus Rebuffus ad leges Gallie, in proæmio, glof. 5. ex num. 4. Mastrillus ubi proxime, num. 393. Regnerus Sixtinus de regalibus lib. 2. cap. 3. ex num. 91. Solorzanus in polit. Indiana, lib. 6. cap. 6. pag. 964. Idcirco tales leges & consuetudines justas, observandæque esse, censent Covarr. in regul. peccatum, 3. part. §. 11. num. 5. Suarez de censur. disp. 21. sect. 2. num. 34. Duardus ad Bullam cana Domini, can. 4. quest. 17. Petrus Gregor. lib. 3. synag. cap. 14. num. ult. In nostro tamen Regno non video legem, quæ bona naufragorum fisco applicet, ut liquèdò apparet ex supra adductis. Ergo ex jure naturæ cedent occupanti, & hoc jure cedent etiam Principi, si naves, triremes, vel alia tempestate maris in litus ejecta, per milites, navarchos, aut per ministros suos occupet, vel etiam extrahat, quæ in profundo maris latent, dum prorsus domino careant. Ex quo inferunt, schedulas, & diplomata Regia, quorum meminit Solorzanus ubi proxime, emissæ ad eos, qui perquirunt naufragia, quæ accidunt in navigatione Indica, tantum in suo casu esse intelligenda ad extractionem eorum, quæ amissa sunt à nostris navigantibus, quæ Princeps sibi reservat, & de quibus pactum fuit cum extractoribus, ut partem retineant, partem fisco inferant, nec videntur mihi posse applicari aliis casibus naufragiorum, nisi in partibus, in quibus hoc Regale legitimè consuetudine receptum sit, quam hinc Regii Advocatus, aut Procurator probare tenebitur.

12.  
Resol-  
vitur  
ab a  
quaestio.

1.

2.

3.



## CAPUT IV.

Alexand. III. <sup>a</sup> Panormit. Archiepiscopo.

**I**N Archiepiscopatu tuo dicitur contingere quandoque, quod Sarraceni mulieres <sup>b</sup> Christianas, & pueros rapiunt, & eis <sup>c</sup> abuti præsumunt, & quosdam etiam interdum occidunt. Cum autem excessus hujusmodi charissimus in Christo filius noster Illustris <sup>d</sup> Rex Sicilia Vv. tibi, & aliis personis ecclesiasticis, quæ Pontificali sunt prædita dignitate commiserit <sup>e</sup> puniendos, quid de Sarracenis agendum sit, qui fuerint in tam nefario scelere intercepti, tua nos duxit prudentia consulendos. Super quo consultationi tuæ taliter respondemus, quod si tales in jurisdictione tua sunt, vel in posterum fuerint intercepti, eos <sup>f</sup> pecuniariâ poteris pœnâ multare, & etiam <sup>g</sup> flagellis afficere, eâ <sup>h</sup> moderatione adhibita, quod flagella in vindictam sanguinis transire minimè videantur. Si verò ita fuerit super hoc gravis Sarracenorum excessus quod mortem, vel detractionem membrorum debeant sustinere, vindictam ipsam exercendam reserves Regia potestati.

## NOTÆ.

1. <sup>a</sup> Panormit.) Ita legitur in prima collectione, sub hoc titulo cap. 3. & post Concilium Lateran. part. 34. cap. 2. In præsentem rescribit Alexander Hugoni Archiepiscopo Panormit. & in cap. super eo, de usur. cap. de illis, de condit. appost. De Metropoli Panormit. egi in cap. 4. de elect.   
<sup>b</sup> Christianas.) Unde pœnam mortis incurrebant, in quibus Christianam, Cod. de Iudais: & notavi in cap. supra de Iudais.   
<sup>c</sup> Abuti.) Ad præposteram libidinem, de qua agemus in cap. clerici, de excessib. Prælat.   
<sup>d</sup> Rex Sicilia.) Willelmus videlicet secundus à motibus cognomento Bonus, qui regium suscepit diadema anno 1166. à prædicto Hugone Panormit. Archiep. ut refert D. Rochus Pirro tom. 1. Sicilia sacra, fol. 32.   
<sup>e</sup> Puniendos.) Prius enim potest mandare merum imperium, præcipuè cum in præsentem extra ordinem non uni, aut alteri, sed omnibus

Episcopis crimen propè ecclesiastici fori delegasset. Quintana duennas de jurisd. lib. 2. cap. de iurisd. dist. mandat. num. 12.

<sup>f</sup> Pecuniaria.) Quia pœna pecuniaria ex justis causis, præcipuè cum magis timetur, imponi potest à iudicibus ecclesiasticis, dum uxorum utilitatibus non applicetur, ut dicemus, in c. 3. de pœnis.

<sup>g</sup> Flagellis.) De pœna fustium, seu flagellorum, & quando in pœnam sanguinis transire dicatur, egi in cap. 1. de calumniar.

<sup>h</sup> Ea moderatione.) Sed quomodo Judex inferior potest minuire, aut moderari pœnas à jure statutas, contra tradita in cap. 4. §. de illis, de offic. deleg. Sed responderetur idè in præsentem Archiepiscopum imponere pœnam mitiorem, quia ipse pœnam sanguinis infligere non valebat, cap. sententiam, ne clerici, vel monachi. Et idè in calce hujus textus ait Alexander, quod si pœna sanguinis infligenda sit regie cognitioni sententia referretur. Docuit Anduanus lib. 2. de legibus, contravers. §. num. 44.

## CAPUT V.

Alexand. III. <sup>a</sup> Claromontensi Episcopo.

**I**N literis tuis, quas I. lator præsentium detulit, continebatur, quod cum pater ejus multis fuisset criminibus irretitus, qui per appositionem ignis Ecclesiarum excidium, diabolo instigante, commiserat, tandem in ultima ægritudine constitutus, confessus est se peccatorem, & acceptâ pœnitentiâ de commissis, permanum <sup>b</sup> capellani sui fuit à sententiâ absolutus anathematis; sed moriens sepulturam ecclesiasticam habere <sup>c</sup> nequivit. Quapropter si ita res se habet, si t. p. A. s. p. m. quat. corpus ejusdem patris I. supradicti ap. cess. facias in cæmeterio <sup>d</sup> sepeliri, & hæredes ejus moneas, & compellas, ut iis, quibus per incendium, vel alio modo damna contra justitiam irrogaverit, juxta facultates suas condignè satisfaciant, ut sic <sup>e</sup> a peccato valeat liberari.

## NOTÆ.

- <sup>a</sup> Claromontensi.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 6. & post Concilium Lateran. part. 34. cap. 2. De diocesi Claromont. egi in cap. 38. de testibus.   
<sup>b</sup> Capellani sui.) Clerici videlicet, qui ex officio D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

ficio sacramenta administrabant, de quo egi in c. Capellanus, de feriis, cap. 1. de secund. nupt.

<sup>c</sup> Nequivit.) Quia cum non satisfecisset pro damnis illatis, existimabat capellanus pœnitentiam illi parum prodesse, & ideo indignum esse sepulturam ecclesiasticam, juxta textum in cap. 2. supra hoc tit.

E e 2

d Sepe-



2. d. *Sepeliri.*) Quia licet ipse per se non satisfecisset pro damnis illatis, tamen hæredibus suis iussit ut satisfacerent, & ita potuit sepeliri in sepultura ecclesiastica, ut in *cap. final. hœrit. in r. collect.* rescribit Alexander III. Lucensi Episcopo in hæc verba: *De secunda verò questione hoc tuam volumus discretionem tenere, quod propinqui ejus, quem pro manifestis excessibus videlicet homicidio, incendio, violenta iniectione manuum in clericos, violatione multarum Ecclesiarum, & incestu, vinculo excommunicationis adstringis, monendi sunt, ut pro eo ex eo satisfactionem exhibeant: quod si fecerint, quia laborant in extremis, præstito juramento per presbyterum fuerit ab excommunicationis sententia relaxatus, in cimiterio poterit sepeliri. Si autem propinqui tuis acquiescere monitis contradixerint, quia jam non est purgatum peccatum, defuncto neganda est ecclesiastica sepultura.*
3. e. *Valeat liberari.*) *Valeant liberari*, legit Navarrus in *manuali Latin. cap. 27. num. 68.* à quo discedit Barbosa in *collect. ad hunc textum.* Aliter Araujo in *decis. moral. tractat. 3. quest. 25.* retinet aliam interpretationem ipsius Navarri, qui retentâ literâ, *valeat liberari*, accipit ea verba de ope, quam obtinet anima defuncti accidentaliter per orationes creditorum: sive pauperum benè satisfactorum; nam teste Div. Thoma in *4. distin. 45. art. 2. quest. unc. 2. ad 4.* solutio debiti aliquantum prodest defuncto, in quantum creditorum orationibus adjuvatur. Sed adhuc crederem mentem Alexandri III. fuisse hæredem debere satisfacere pro damnis illatis à defuncto, quia cum ipse valde negligens fuisset in satisfactione, si ejus onus hæredibus injunxerit, ipsi debent ex bonis ejus satisfacere: quod si prætermittant, incurrunt in peccatum, à quo non liberabuntur nisi restituendo. Non igitur fuit mens Alexandri incendiarium in gratia ante restitutionem defunctum, ut liberetur à purgatorio, egere restitutione per hæredes facta; sed mens ejus fuit hæredibus eam restitutionem esse necessariam, ut liberentur à culpa, id est necam incurrant: nam ob neglectam, aut dilatam restitutionem ab hæredibus faciendam, non detineri animas in purgatorio, docent D. Thomas *quodlibet. 6. art. 13.* Navarrus *suprà*, Hadrianus *quodlibet. 8.* Sylvester in *summa, verbo Testamentum, quest. 9.* Petrus Sotus *lection. 3. de purgat. Dominicus Sotus in 4. distin. 45. art. 3. quest. 2. & libr. 6. de justit. quest. 1. art. 1.* Molina *tractat. 2. de justit. disput. 251.* Suarez *tom. 4. in 3. part. disput. 48. section. 8. num. 20.* Valentia in *2. 2. disp. 5. quest. 6. punct. 2.* Bellarminus *libr. 2. de purgator. cap. 16.* Peltanus *lib. de purgator. cap. 16.* Navarra *de restitut. libr. 4. cap. 4. num. 75.* Cenedo in *99. practic. quest. 31. num. 6.* Theophilus *tom. 15. in Heterocl. part. 2. sect. 1. cap. 3. fol. 404.* Quatenus verò hæres teneatur satisfacere pro damnis illatis à defuncto, exposui in *cap. final. de sepult.*

## COMMENTARIUM.

4. Incendium committitur ex dolo, culpa, aut casu, ut explicant D. Joan. Vela *de delict. cap. 18. per totum.* Petrus Gregorius *libr. 36. Syntag. cap. 19.* Martha *de jurisdict. 2. part. cap. 25.* Antonius Mathæus *de crimin. libr. 48. tit. 5. cap. 6.* In præ-

fenti agitur de incendio ex dolo admisso, cujus ratione tenetur incendiarius qui dolo malo incendium fecit, sive ipse manu, sua stuppam tædave intulerit, sive per alium id fieri curaverit: & si cœtu, turba, aut seditione incendium fecerit, etiam legi Julæ de vi publica subijciuntur, *leg. 1. & 10. ff. ad leg. Corn. de scar. leg. 5. ff. ad leg. Jul. de vi public. leg. 1. Cod. qui accusare.* Sed cum non omnia incendia æquè gravia sint, non semper eisdem poenis incendiarii sunt plerendi; qui enim intra oppidum incendium fecerint, prædæ, aut inimicitiarum causa, plerumque vivi exuruntur: qui verò casam, aut villam incenderint, aliquo levius puniuntur: qui acervum frumenti juxta ædes positum combusserint, vincti, verberatique igne necantur, *leg. qui adu 9. ff. de incendio & ruina, leg. aut facta 16. §. penult. leg. capitulum 28. §. incendiarii; ff. de panis, leg. 10. ff. ad leg. Corn. de scaris.* Farinacius in *praxi. quest. 110. num. 157.* D. Joannes Vela, & Anton. Mathæus *ubi supra*, Jul. Pacius *ad tit. de incendio.* Ad quod delictum, & ejus poenas spectant textus in *leg. in eum, Cod. de furtis, leg. Pomponius 44. §. idem, ff. de acquir. rerum dom. leg. 7. §. est & alius, ff. quod vi aut clam. l. si quis fumo, §. qui dicitur, ff. ad leg. Aquil. leg. 1. §. final. leg. 8. ff. ad leg. Rhodiam, leg. 3. §. Senatus. l. si quis, §. si quis, ff. ad Syllan. leg. 21. §. sed et si de furt. leg. 3. §. item si, ff. ad leg. Corn. de scaris, l. 3. §. in servum. ff. de vi honor. raptor. l. 4. Cod. de sepulchro violat. l. 5. ff. de aqua pluvia, l. Pomponius 15. ff. de negot. gestis, l. 1. Cod. de naufragis, l. 1. §. final. ff. ad leg. Jul. de vi public. l. præbyteri, Cod. de Episcop. & cleric. l. 44. si factum, ff. de furtis, l. 27. §. si fornicarius, ff. ad leg. Aquil. l. 29. §. idem, eodem tit. l. hoc amplius, §. Veracius, ff. de damno infecto, l. 4. Cod. de navibus, l. interdum 48. §. si quis furem, ff. de furtis, junct. princ. leg. fin. Cod. quand. civil. l. 4. §. final. de rebus credit. l. data 11. Cod. qui accusare, l. 28. §. nam incendiarii, ff. de poenis. l. in arborem, eodem tit. l. 5. ff. ad l. Jul. de vi privat. l. inter, §. penult. ff. de furt. l. 28. §. si dominus, ff. de dolo. l. 7. §. si pacificus, ff. de pact. l. si vendita, ff. de periculo & commodo. l. 24. §. præterea, ff. de damno infecto, l. 1. §. si suspicio, l. 3. §. item, ff. de incendio & ruina, l. quamvis, Cod. ad leg. Jul. de adult. l. interdum 48. §. qui furem, ff. de furt. cum l. 1. Cod. quando civilis actio, l. final. ff. de offic. Prefect. vigil. cum l. qui edes, ff. de incendio, l. 5. Cod. de navicular. lib. 11. l. 11. l. 30. §. final. ff. locati.*

Jure nostro Regio ultra damni satisfactionem incendiarii comburi jubentur, *l. 11. tit. 15. libr. 4. fori*: quæ poena quoad nobiles paritarum jure mutata est in exilium perpetuum, *lib. 9. tit. 10. part. 7.* hodie verò contra nobiles mortis poena imposita est, in *l. 6. tit. 12. libr. 8. Recopil.* & si hominis occidendi causâ fiat incendium, etiam si mors non sequatur, dimidia pars bonorum incendiarii publicatur, *l. 36. tit. 19. libr. 8. Ordin. l. 8. tit. 26. lib. 8. Recopil.* & tandem immunitate Ecclesiæ non gaudens, *l. final. tit. 5. libr. 1. fori, l. 3. tit. 2. libr. 1. Recopil.* Basilic. *decis. 18. crimin.* Jure Saxonum poena incendiarii omnino capitalis fuit, etiam si incendium noctu, vel diu factum fuisset, *tit. 5. §. 2. legum Saxon.* Salicis verò, & Longobardis novies compositio fiebat, quas sequuti sunt Frifones *titul. 7.* & de illis intelligendus est textus in *cap. cum devotissimam 12. quasi 2.*



quæst. 2. Et hæc compositio, seu poena appellatur *Were*, seu *Würgildum*, in *cap. omnes* 17. *quæst.* 4. id est pretium, quo damnum appetitatum fuerit, ut exprimitur *lib. 4. capitul. capit. 13. 15. & 18.* Jure Canonico in incensores statuta est excommunicatio; eâ tamen differentiâ adjectâ inter incendiarios rerum Ecclesiarum, & aliarum rerum, quod illorum absolutio reservata est Romano Pontifici, ex præfenti textu, & *cap. tua nos*, de *sent. excom.* illorum verò tantum Episcopo, *cap. si quis membrorum*, cum sequenti, 23. *quæst. ult. cap. nuper*, de *sent. excom.* Et licet nonnulli asseruerint, sententiam hanc excommunicationis incurri ipso jure, in *cap. si quis membrum*, *cap. pessimam* 23. *quæst. 8. cap. tua nos*, de *sent. excom.* tamen contrarium, immò incendiarium non esse ipso jure excommunicatum, sed excommunicandum docuerunt ex Innocent. III. apud Sirletum fol. 275. ibi: *Sicut ex parte tua nostro fuit Apostolatus reservatum, prædecessores nostri felicitis recordationis Clemens & Cælestinus, &*

*devotionem tuam, & gentis tibi subjete duritiam attendentes, ut absolvere, ac judicare posses incendiarios in tua diœcesi constitutos fraternitati tue de benignitate Sedis Apostolicæ indulserunt. Nos igitur tibi, quem inter fratres, & Coepiscopos nostros sincera diligimus in Domino charitate, abundantiorē deferre volentes honorem, & illud nihilominus attendentes, quod ex hoc vita hominum facilius corrigatur, ad exemplar eorundem prædecessorum nostrorum potestatem incendiarios tue diœcesis absolvendi devotioni tue auctoritate præsentium indulgemus, nisi forte tantus sit aliquorum excessus, ut eos oporteat ad Sedem Apostolicam destinari. Nulli ergo, &c. Datum Later. XI. Kal. Martii. Suarez de censur. disput. 22. sect. 2. num. 19. Barb. de potest. Episcop. alleg. 5. num. 39. Castropalao disput. 3. punct. 2. 4. nu. 5. Gibalinus in synopsi censur. verbo incendiarius, Murga tom. 2. disquisition. disquisit. 20. dub. 19.*

## CAPUT VI.

Lucius III. • Nonhebergensi Episcopo.

Cum causam, quæ inter E. militem latorem præsentium, & uxorem ejus vertitur, tuæ commississemus experientiæ terminandam: E. miles<sup>b</sup> repetens, mulierem legitime sibi nupsisse, per probationes canonicas se constanter asserit probaturum. Fœmina quoque propoluit, quod dominorum, & parentum suorum suggestione alteri viro tradita, ab illo militis amore divertit, qui à parentibus prius rapuit eam: illa tamen volente, ut dicitur, & postmodum prius quam eam cognosceret, desponsavit: demùm inclusa est in monasterio monialium, ubi etiam detinetur. Unde quoniam super his prudentia tua Sedem duxit Apostolicam consulendam, significatione tibi præsentium respondemus, quod cum ibi raptus dicitur admitti, ubi nihil antè de nuptiis agitur, iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, & prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes forsitan<sup>c</sup> reclamarent. Præterea cum post matrimonium carnis commixtione perfectum, teste Apostolo, uxor sui corporis potestatem non habeat sed maritus, & e converso; si præcessisse matrimonium, vel ex probationibus viri canonicis, vel ex mulieris confessione claruerit, postmodum sine<sup>d</sup> assensu viri non potuit femina monasterium ingredi, aut aliter continentiam profiteri. Nec ergo pro eo, quod post matrimonium consummatum rapta per vim de monasterio fuerit, ejus poterit consortium declinare, dummodo probari nequeat virum, ut mulier profiteretur, continentiam<sup>e</sup> assensisse.

## NOTÆ.

cap. 1. de ordin. cognit.

<sup>c</sup> Reclamarent. ) Quorum consensus desideratur de jure Canonico, non tamen adeo præcisè, ut absque eo matrimonium non consistat, ut probavi in *cap. 1. de despons. impub.* & pro hujus textus expositione notavit Basilius *lib. 1. & 2. de matrim. cap. 1. num. 1.*

<sup>d</sup> Sine assensu viri. ) Juxta tradita in *cap. conjugatus, de convers. coniug.*

<sup>e</sup> Assensisse. ) Quia tunc cum ex mutuo consensu habitum religiosum suscepisset, non poterat eam repetere.

1. <sup>a</sup> Nonhebergensi. ) Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* Post Concil. verò Lateran. *cap. 5. part. 24.* Nonhebergensi legitur: in hac sexta collectione habetur *Burgeni*; sed credo legendum esse *Neubergensi*, qui Episcopatus est in Germania, & ejus Ecclesiam his temporibus regebat Utho secundus, ut refert Bucelinus *tom. 1. Germania, part. 2. fol. 41.*

<sup>b</sup> Repetens. ) Et vendicans, juxta tradita in



## CAPUT VII.

Innocent. III. Episcopo a Glasconensi.

**A**ccedens ad Ap. Sed. dilectus filius B. frater Hierosolymit. Hospital. a nobis ex parte tua quaesivit, utrum clericus b absens gratia studiorum de ecclesiastico beneficio possit investiri; & utrum si rapta puella, & in alienam delata diocesim, in Ecclesia facie consenserit in raptorem, matrimonium huiusmodi legitimum sit habendum. Nos igitur inquisitioni tuae taliter respondemus, quod & clericus absens per alium, vel alius magis per ipsum pro eo potest de beneficio investiri: & rapta puella legitime contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum; & quod ante displicuerit, tandem incipiat complacere, dummodo ad contrahendum sint legitima persona.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> **G**lasconensi.) Ita legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 1. in hac sexta legitur Saronensi; sed recte Antonii Augustinus in dicta tertia collectione ad marginem emendat Cracoviensi, de qua diocesi egi in cap. 11.

b Absens per alium.) Hæc verba extant in cap. accedens, de præbendis, ut jam notavi.

## COMMENTARIUM.

**I.** **E**X his duabus decisionibus sequens communiter deducitur assertio: Rapta potest contrahere matrimonium cum raptore, ubi datur libera facultas in contrahendo. Probant eam textus in canone 66. Apost. Concil. Meldense can. 64. ubi: Raptores virginum, & viduarum, qui etiam postea voluntate parentum eas quasi desponsantes sub dotalitiis nomine in conjugium duxerunt, publica penitentia subigantur, & post publicam penitentiam, prout præviderit Episcopus peractam, ne in pejus corruant, iterum convenientes, de cetero elemosynis, & ceteris quibusque religiosis, & salutiferæ conversationis actionibus inservire procurent usquequo ab opere conjugali ex consensu se valeant abstinere. Concil. Romanum sub Zacharia can. 4. ubi excommunicatur raptor, nisi raptam desponsatam habuerit. Nicolaus I. epist. 30. Trident. sess. 24. de reform. cap. 6. Illustrant ultra congestos in præsentem è Barbosa Bafilii Legion. lib. 7. de matrim. cap. final. Didacus Perez in l. 2. tit. 15. lib. 8. ordin. Grotius in flor. ffars. ad tit. Cod. de rapt. virginum. Balsamon in can. 30. sancti Basilii ad Amphilocho. Borrel. tom. 3. decis. tit. 1. num. 567. Bignonius in notis ad Martens. lib. 2. cap. 16. Pettus Gregor. lib. 3. partit. tit. 21. cap. 14. & lib. 4. tit. 4. cap. 6. & in cap. 1. de sponsal. num. 79. Savarus in notis ad Sidonium lib. 5. epist. 19. Acoſta in §. arbitrato, num. 4. fol. 145. Christianus tom. 1. decis. 334. Dattis in 27. quest. 2. Azor. 1. part. instit. lib. 5. cap. 29. Trullench. de matrim. cap. 9. dub. 17. Leander eod. tractatu, disput. 22. quest. 3. Hurtado eod. tract. disp. 23. Zypæus in respons. ad tit. de sponsal. Tondutus resol. canonic. cap. 117. Forner. lib. 1. rerum quotid. cap. 5. Ansaldo de iurisdict. part. 4. tit. 4. cap. 1. & 2. Sesse tom. 1. decis. 94. cum quatuor sequent. Moralista de impedimentis matrimonii scribentes, Villaroël. part. 1. regim. eccles. quest. 9. art. 4.

**2.** Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Si matrimonium inter rap-

torem, & raptam permittatur, exempli impunitate publicis moribus officitur; nec nisi pluris tradita est apud nos pudoris privati ratio, quam disciplina assertio. namorum, ejusmodi concubitu matrimonii honorem dedecorari patiemur, argumento legis postminium 19. §. filius, l. 3. Cod. de primipil. lib. 12. quia nec sequens consensus contractam antea maculam sic delere potest, quin litura maneat; ideoque Imperator in l. 1. Cod. Theodos. de raptu sanctorum. jubet neminem sibi ex posteriore consensu raptam blandiri, l. 1. eod. Cod. de raptu virginum, ubi Gothofr. & Justinianus ejusmodi conjugia, nec interveniente quidem parentum, pariumque consensu valere voluit, l. unio. §. si quidem, Cod. de raptu virginum, novel. 143. & 150. Quarum consuetudinonum mentio fit in cap. cum secundum, de heretic. in 6. Et edicto Theodotici si consentiat rapta raptori pariter occiditur. Idem apud Wisigothos cautum legitimus in l. 1. tit. 3. in l. 14. tit. 4. lib. 3. Wisigoth. Lege etiam Caroli Magni lib. 7. capit. 311. vetatur fœminam ducere, qui eam rapuit, vel seduxit, ac præterea multam solvere tenetur. Eiusdem Caroli Magni temporibus raptor, qui sub lege Romana viveret, morte puniebatur, & variis Ecclesiæ canonibus matrimonium inter raptorem & raptam celebratum nullum esse cautum legitimus in cap. de puellis, cap. placuit, cap. si autem 10. 36. quest. 2. Concil. Meldense can. 66. 67. & 68. Troislean. can. 8. & testatur Carnot. epist. 16. Igitur non recte in præsentem textu affirmatur, matrimonium inter raptam, & raptorem consistere posse, contra jus ita receptum. Unde Treutlerus volum. 2. disput. 6. de nupt. ad finem, ausus fuit hæc verba protulisse: Coronadis loco sit, pessimo exemplo à posterioribus canonibus permitti, ut raptor cum rapta liberè possit contrahere matrimonium; quod enim in l. unio. Cod. de raptu virgin. cap. placuit, cap. de puellis 36. qu. 2. contrastrantur, id justissimam rationem habuit jure divino, & humano suffuliam, contra quam non potuit, nec debuit aliud jus induci in cap. final. de rapt.

Quæ dubitandi ratione non obstante vera est præterens assertio pro cujus expositione sciendum Derap est, verbum rapere commune esse & ad res, & in per ad personas; nam qui personam rapit, raptor dicitur, si quis ex domo ff. de furtis: & qui personam raptam, abducit, proprie raptum committit, l. si quis non dicam, Cod. de Episcop. & clericis. Is enim committit raptum, qui de loco ad locum per vim mulierem amoveret libidinis causâ, c. lex illa, vers. Raptus, 33. q. 1. d. l. si quis non dicam: ideoque in præsentem rubrica non



non solum agitur de prædonibus, & latronibus, sed etiam de impuris hominibus vim fœminis inferentibus, qui prædonibus similes sunt, unde & furtum facere dicuntur in cap. placuis 36. quest. 2. in Synodo Romana sub Gregorio II. can. 11. ibi: Si quis virginem, nisi desponsaverit, furatus fuerit in uxorem, vel consentiens ei, anathematisi. Synodus Romana sub Zacharia can. 7. ibi: Si quis temerario ausu presumpserit virginem, aut viduam furari in uxorem, præter si desponsatam habuerit, anathematisi. Et hoc crimen furtum dicitur à Virgilio lib. 6. *Æneid.*

Supposita furto

Paphæ.

Furtum enim fit pudoris, & castitatis in virginibus, quæ ideo depudiari dicebantur à Saberio apud Gellium lib. 6. *vultum*, cap. 7. & nulla atrocior injuria fœminis potest inferri, quam quæ pudicitiam aggreditur, eo quod pudicitia illa nunquam reparatur, ut ait D. Hieronymus in *epist. 22. ad Eustochium*: & Ovidius *epist. 5.*

Nulla reparabilis arte

Lasa pudicitia.

Hinc exponenda est quæstio satis vexata apud Interpretes, an mulier rapta dicatur, quæ non est abducta de loco ad locum, sed in cubiculo, aut alio loco sola deprehensa, oppressa, & violata fuit. Et tunc raptum non committi, immò et si puella per passus aliquot abducta, stuprique causâ protracta fuerit, pœnis raptus oppressorem non teneri, docuerunt Tiberius Decianus lib. 8. *traçt. crimin. cap. 7. num. 34.* Farinac. in *praxi. quest. 145. num. 69.* Jul. Clarus §. raptus, in *princip.* Boffius in *praxi. tit. de raptu mulier. num. 3.* Petrus Greg. lib. 36. *synag. cap. 33. num. 1.* Quæ sententia firmatur sequentibus juris principis. Primò, quia quemadmodum vi bonorum raptorum non tenetur, nisi qui violenter res eripuit, & abduxit, l. 2. §. si publicanus, cum sequent. ff. de vi bonor. raptor. l. 4. ff. ne quis eum, qui in jus vocatus; ita nec raptus accusari poterit, nisi qui personam violenter abduxit: & sicut abduxisse non dicitur, qui in eodem loco hominem retinuit, dist. lib. 4. l. 3. Cod. ad leg. Jul. de vi: ita nec rapuisse mulierem dici potest, qui in loco solam deprehensam vi compressit. Secundò quia in jure semper separatur stuprum per vim factum à raptu, l. 3. §. ff. ad leg. Jul. de vi privar. & in legibus Wisigoth. lib. 3. tit. 3. §. 4. Igitur quia ad raptum desideratur abductio, seu amotio de loco in locum. Contrariam sententiam tenuerunt Rebuffus in l. Marcellus, verbo rapere, ff. de P. S. Anton. Matthæus de crimin. ad lib. 48. *Pandect. tit. 4. c. 4.* Pro qua sententia faciunt textus in cap. final. 39. g. 1. ubi is appellatur raptor, qui per vim virginem stupravit, & in c. de raptoribus, eadem quæstione, traditur raptum dupliciter fieri, vel cum ipsa mulier rapitur, & cum flos virginittatis violenter eripitur: quare licet mulier de loco in locum non amoveatur, sed retineatur ubi deprehensa est; raptus tamen committitur, quoniam pudicitia ei eripitur. Tandem quia quidquid vi eripitur, rapti dicitur, l. si eximendi, ff. ne quis eum qui in jus vocatus, l. 3. §. non solum, ff. de incend. ruin. ex Seneca, & Quintiliano probat Ant. Matthæus ubi proximè. In quo interpretum dissidio verius credo, hoc casu raptum virginittatis, non verò virginis committi; & ita oppressorem puellæ non teneri pœnis raptus, præcipue si virgo non erat in potestate parentum, sed sui juris.

Deinde sciendum est, ad raptum committen-

dum vim desiderari, cap. lex illa, vers. raptus, 36. quest. 1. idque ipsius verbi proprietates postulat, cum rapti solum dicatur, quod vi eripitur, dist. l. si eximendi, l. 3. §. non solum, ff. ad leg. Jul. de vi. Unde si fœmina consentiens abducatur, quia nulla vis committitur, raptus non datur, cap. cum causa, hoc tit. Quod procedit quando inter eos præcessit tractatus matrimonii, etsi jure civili adhuc hoc casu raptum committi certum sit, & probat Ant. Matthæus ubi supra. Quare etiam consentiente filia familias, eam rapiens punitur pœnâ mortis, ut contra Decianum tenent Cevallos quest. 596. num. 33. Peguera decis. 40. §. 43. Farinac. g. 145. à num. 34. Sanchez de matrim. disput. 12. lib. 7. num. 23. Giurba consil. 2. num. 50. Salgado de regia proteçt. part. 3. cap. 14. num. 38. Inde etiam inferitur, multò fortius raptum committi ubi suasionibus, donis, aut aliis amatoriiis artibus mulier viro consentit, habent enim vim persuasoria verba, l. 1. §. persuadere, ff. de seruo corrupto l. 3. §. si quis volentem, ff. de libero homine exhib. l. penult. Cod. de apost. probat Ballamon in can. 30. Sancti Basilii ad Amphilochem; & quia in dubio mulier semper præsumitur seducta blanditiis, & suasionibus viri, l. unic. Cod. de raptu virg. Baldus in l. raptores, C. de episc. & cler. Decianus lib. 8. c. 13. nu. 13. & part. 7. num. 7. Gomez in l. 80. Tauri. nu. 5. Paz in l. 74. styli, Gutierrez canonic. c. 37. à num. 21. Azevedus in l. 2. tit. 13. lib. 8. num. 38. Vela de delictis cap. 37. Ideo hoc casu raptor probare debet ipsam ultro consensisse; quod difficile est, nisi ipsa fateatur, ut post Mascardum, & Boffium probat Vela de delictis cap. 29. num. 9. Inde etiam deducitur fœminam rapientem virum, raptum committere, pœnisque raptus teneri, ut probant Gomez. in l. 80. Tauri, num. 37. Vela dist. cap. 29. n. 9. Ant. Matthæus d. cap. 2. nu. 1. Et sanè si mulier raptori opem ferens capite punitur, l. unic. §. pœnas, Cod. de raptu virg. utique multò magis capite punienda erit, si ipsa virum rapuerit. Nec obstat in pœnalibus, & odiosis verbum masculini generis fœminam non comprehendere; nam si crimen tale sit, quod in fœminam cadat, fœminæ quoque continentur, ut contingit in edicto de albo corrupto, l. si quis id quod 7. §. 1. ff. de jurisdictione, in lege Aquilia, l. 2. l. item si obsterrix 9. ff. ad leg. Aquil. in Syllaniano, l. 1. §. justè, & §. impubes, ff. ad Syllan. facit Cicero in orat. pro Cluentio, ibi: Vbi omnes mortales lex obligat, ita loquitur: Qui venenum malum fecerit, omnes viri, mulieres, liberi in iudicium vocantur. Etsi contrariam sententiam tenuerint Menochius, Jul. Clarus, & Farinac. Et plures fœminas hoc commisisse crimen refert Tiraquel. in l. conub. in l. 9. num. 112.

Delictum hoc raptus virginis severissimè punitur, tam per leges, quam per sacros canones. Jure civili si raptores in ipso raptu deprehendantur, possunt impunè occidi propria auctoritate à proximis, vel cognatis ipsius raptæ, l. unic. vers. Ne igitur Cod. de rapt. virg. quæ pœna imponitur etiam illis, qui auxilium raptori præbuerunt, & raptor accusatus, aut convictus ultimo supplicio afficiendus est, nullâ habitâ distinctione ejus conditionis, seu qualitatis, ex dist. l. unic. l. si quis non dicam, l. raptores, Cod. de Episc. & cleric. l. qui cœtu, §. qui vacantem, ff. ad leg. Jul. de vi, §. item lex Julia de vi, Instit. de publico iudic. l. 3. §. 6. & 7. C. Theodos. de indulg. crim. Phocius in nomocan. tit. 9. cap. 30. Savar. ad Sid. 5. epist. 10. Bona quoque ejus, licet regulariter aliàs damnati ad mortem suo applicentur,

Ec 4

5. De pœnis raptorum.



plicentur, *authent. bona. Cod. de bonis proscriptis*. & olim applicarentur in hoc casu, *l. si quis dicatam, Cod. de raptu virgin. in Theodos. Marini lib. 1. res. sol. cap. 301.* ad ipsam tamen raptam spectant, si ingenua est, *dist. l. unum. vers. & si quidem, §. 5. Papi- nianus tit. 10. respons.* Jure nostro Hispano anti- quo raptores si raptam cognovissent, ultimo sup- plicio plecebantur; si autem copula non seque- batur, multâ pecuniariâ puniebantur pro æqua- libus applicanda fisco, & raptæ, *l. 1. 2. & 3. tit. 10. lib. 4. fori.* Lege paritæ contra raptores, & eorum fautores statuta est pœna mortis, & bona appli- cantur raptæ, nisi contrahat cum raptore; quia tunc applicantur fisco, *l. 3. tit. 20. partit. 7.* quæ pœna in solo conatu ad actus externos deducto locum habet, licet non perficiatur raptus, *l. 2. tit. 31. part. 7.* Quod si raptus committatur in ere- mo, est casus vulgò de *la hermandad*; & ideo pun- itur pœnâ sagittæ, *l. 2. tit. 13. lib. 4. recopil.* Jure Canonico raptus punitur pœna depositionis in clericos, excommunicationis in laicos, qui & ser- vire jubentur patri puellæ, *cap. de raptoribus, cum aliis, 36. quest. 2. Concil. Meldense can. 66. ibi: Qui deinceps rapere virgines, vel viduas presump- serint secundum Synodalem B. Gregorii definitio- nem, ipsi & complices eorum anathematizentur, & raptores sine spe conjugii perpetuò maneat.* Chal- cedon. *act. 11. can. 27. Aurelian. 4. can. 12. Roman. 1. sub Gregorio II. can. 10. & 11. Sexta Synodus Trul. can. 92. Wormac. can. 77. Metensis can. 7.* Ipsi rap- tores, ac eorum filii manent infames, ac inhabiles ad dignitates ecclesiasticas: Concil. Aurel. *t. can. 4. Alexander. III. post Concil. Lateran. part. 6. cap. 4. Tridentin sess. 24. de reform. cap. 6.*

6. His suppositis ut ad matrimonium permittend- dum, vel non, inter raptorem & raptam devenia- mus, sciendum est, tam apud juris conditores, quàm oratores controversum fuisse, turum puella rapta volentibus ita parentibus, raptoris contu- bernium sequi possit, ut constat ex Quintiliano *declamat. 261. 262. 270. 276. 280. 286. Seneca lib. 1. declamat. 5. & lib. 7. declamat. 8.* & raptam raptori nubere posse, vel ex lege Dei relata *Exodi cap. 22. & in collat. legum Mosaic. tit. 4. de adult. & ex can. 67. Apost. D. Hieronym. relato in cap. tria le- gitima 36. quest. 1. D. Ambrosio in apolog. David, cum sequent. Carnot. epist. 16. docuerunt Balsam. in dist. can. 67. Savar. ad Sidon. lib. 5. epist. 19. ad fin.* Et jure Attico non solum matrimonium inter eos permittebatur, verùm & injungebatur lege ita ex- pressa: *Raptor virginem, quam vitiavit, ducito.* Quam laudant Syrius, & Marcellinus in *Hermogenem Plautus in Aulular.*

*Si quid ego erga te imprudens peccavi, aut natam tuam, Ut mihi ignoscas, eamque uxorem mihi des, ut leges jubent.*

Terentius in *Adelphis, actu 4. sc. 7.*

D. O stulte, tu de psaltria me somnias

Agere: hoc peccatum in virginem est civem.

M. Scio.

D. Oho scis, & patere? M. Quidni patiar?

D. Dic mihi,

Non clamas? Non insanis? M. Non D. Malim quidem:

Puer natus est. M. Dii bene fort ant. D. Virgo nihil habet.

M. Audivi. D. Et ducenda indotata est? M. Si licet.

Ut autem duceret raptam, qui rapuerat, exorare

neesse habebat patrem virginis, ut sibi responde- ret, daretque. Hinc apud eundem Plautum Lyco- nides adolescens de nuptiis Phedria Euclionem illius patrem appellat his verbis:

*Si quid ego ergate imprudens peccavi, aut na- tam tuam,*

*Ut mihi ignoscas, eamque uxorem mihi des, ut leges jubent.*

Exorandus quoque à raptore pater, ut nuptiis au- ctor sit: quare Mitio ex hoc more apud Terentium ne Elchinum metu amittendæ puellæ ex cruciet diutius, non appellatus ab eo de nuptiis, ultrò exo- ratum se ostendit.

*In qua civitate tandem te arbitrare vivere? Virginem vitiaisti, quam te jus non fuerat tan- gere.*

— *At postquam id evenit, cedo.*

*Nunquid circumspicte, aut nunquid tuè*

*Quid fieret? Si te ipsum mihi puduit dicere,*

*Bono animo es: duces uxorem banc.*

Verùm si pretium accepisset, sive virgo, sive ma- ter illius ab adolescente, qui compresserat, leges non cogebant eam in uxorem ducere, ut colligitur ex his Terentiana: *sostratæ verbis in Eunuch.*

*Petiores loco non potest esse, quam in hoc, quo nunc sita est.*

*Primum indotata est: tum præterea, qua se- cundæ dos erat*

*Perit: pro virgine dari nuptui non potest: hoc reliquum est,*

*Si inficias ibi, testis mecum est annulus, quem amiserat.*

*Postremò quando ego conscia missam à me cul- pam banc procul esse, nec*

*Pretium, neque rem ullam interesse illam, aut me indignam experior Geta.*

Et lib. 60. *Basilicom, tit. 37. ibi: Si quis cum virgine consentiente rem habuerit infcis parentibus, re comperta nuptia jure contrahentur, modò raptoris ac parentum consensus accedat.* Byzantiorum quo- que statutum refert Achilles Stadius *lib. 2. de Clitophont. & Leucip. amoribus;* quod nullam aliam rap- tori pœnam infligebat præter virginis raptæ in uxorem ducendi necessitatem: sed jure civili noviori omnino matrimonium inter raptorem, & raptam prohibitum fuit, ut probavi supra in dubitandi ratione. Jure autem Pontificio nullâ lege Eccle- siæ generali, aut universali prohibitum fuit matri- monium inter raptorem & raptam, nisi consen- sus voluntarius defuisset, propterea quod consen- sus sequens ruinam omnem, & damnum videatur reparare, *cap. tria 36. quest. 2.* & eorum qui inju- riam acceperunt adhibito consensu lenitur dolor, & quasi dissimulatione aboletur injuria, *l. non so- lum 1. §. 1. ff. de injuriis: Sidonius Apollin. lib. 5. epist. 19. ibi: Nam meam hec sola, seu compositio, seu satisfactio, vel non mediocriter contumeliam e- mendat, qui tuis votis, ac amicis hoc acquiesco, si laxat libertas maritum, ne constringat pœnarapto- rem.* Et ita nec raptæ quidem nomen habere posse, quæ nupta est, ait Quintilianus *declamat. 280.* & D. Augustin. *de bono conjugali,* nuptias aut posse fieri ex malè conjunctis honesto placito consequente. Unde rectè in præsentî docetur, inter raptorem & raptam legitimo accedente consensu matrimoni- um licitè contrahi, etsi aliquibus legibus specialium provinciarum tale matrimonium damnetur, ut in Synodo Regiaticana, ut vulgò citatur, cum sit Ticinensis in urbe regia Ticino celebrata sub Leo- ne IV. *can. 10. ibi: Quæ verò vel vidua, vel adhuc sponsa*



sponte non fuerunt, & absque ipsarum, & parentum voluntate rapiuntur, nihilominus vel parentibus, vel propinquis restituantur, & aliis, si voluerint, nubant: nam ipsorum, à quibus rapta sunt, legitima demum uxores nullatenus esse possunt. Concil. Meldense can. 67. Qui sanctimonialis, virgines, vel viduas rapiunt, & progressu etiam criminis in conjugium sumunt, publica poenitentia iuxta modum, quem praeviderit Episcopus, subigantur: ipse vero locis congruis poenitentia retrudantur, & ad habitum religionis redire cogantur: uterque autem sine ulla spe uxoria copulationis perenniter maneat. Quibus Patribus placuit constitutio Justiniani relata in l. ult. Cod. de rapt. virg. iuxta quam juris civilis, & canonici distinctionem, nec non canonum generalium, & provincialium differentiam accipiendi sunt textus supra pro dubitandi ratione adducti. Novissimè in Concilio Trid. dist. sess. 24. c. 6. decernitur, non consistere matrimonium inter ra-


ptorem & raptam nisi ea ponatur in loco tuto extra potestatem raptoris. Quod decretum non procedit in femina rapiente virum, quia lex Synodalis solum loquitur de raptore, & rapta. Ita docent Sanchez lib. 7. de matrim. disput. 12. num. 25. Farin. in praxi, quest. 145. num. 45. Bonac. quest. 4. de matrim. punct. 18. etsi contrarium teneant Henriquez lib. 12. summe, cap. 14. num. 4. Gutierrez de matrim. cap. 88. Similiter si quis rapiat feminam volentem & consentientem raptui, etsi postea renuat, Lessius lib. 4. de just. cap. 3. dub. 9. num. 70. Martinus Perez de matrim. disput. 38. sect. 4. etsi contrarium teneant Sà verbo Matrimonium, num. 9. Toletus lib. 7. summe, cap. 18. Candidus disquisit. 28. art. 14. dub. 2. Similiter decretum illud locum non habet, si quis rapiat sponsam suam de futuro. Sanchez. supra num. 5. alia plura de hoc crimine cumularunt Sesse, & Ansaldu ubi supra.

## TITULUS XVIII.

### De furtis.

#### CAPUT I.

##### In<sup>a</sup> Exodo.


Ui furatur<sup>b</sup> hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur.

#### NOTÆ.

<sup>a</sup> Exodo. Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. & verba hæc reperiuntur in cap. 21. Exodi. Ad hujus inscriptionis illustrationem repetenda sunt quæ adduxi in cap. 1. supra, de adulteriis.

<sup>b</sup> Hominem. liberum videlicet; nam servus in jure homo non dicitur, siquidem quadrupedibus æquiparatur, l. Ediles 38. §. 1. & 2. ff. de edilit. edict. l. illud 40. ff. de petit. heredit. Artemidorus lib. 1. Onirocriticon, cap. 39. Canis, aut equi, aut asini, aut alicujus aliorum quadrupedum, aut volucrum caput pro suo habere sibi videri, si quidem quadrupedis fuerit, servitutem, & ærumnas significat. Illustrat D. Joannes Suarez ad leg. Aquil. lib. 1. cap. 3.

#### COMMENTARIUM.

<sup>2.</sup> X hoc textu sequens communiter venit disputanda assertio: Qui furatur hominem, & vendit, ultimo supplicio afficiendus est. Probant eam textus in cap. 24. Deuteronom. ibi: Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel, & vendit eo acceperit pretium, interficietur, ut auferas malum de medio tui. Concil. Palentin anno 1322. Execrabilem querundam Christianorum abusum, quo nonnulli Christianos rapiunt, vel furantur, & eos Sarracenis vendunt, aut aliò quomodocumque trahunt, abhorrentes, statimus, ut nullus Christianus predicta exercere audeat. Et l. lege, l. frequens, l. final.

ff. ad leg. Flavianam de plag. l. final. Cod. eod. tit. §. antepenult. Instit. de public. jud. Faciunt de jure Regio textus in l. 1. & 2. tit. 14. lib. 4. l. 1. & 2. tit. 3. lib. 7. fori. l. 22. tit. 14. partit. 7. l. 30. styli. Illustrant Connanus lib. 1. comment. c. 9. num. 10. Corrafius in l. congruit, num. 9. ff. de officio Presid. Balduinus, Pichardus & alii Institutiarii in dist. §. antepenult. Pitheus in collat. legum Mosaic. tit. 14. Petrus Greg. lib. 4. partit. tit. 10. cap. 8. & lib. 36. syntag. c. 31. Mancinus de triplici jur. collat. Duarenus lib. 2. dist. cap. 20. Solorzanus tom. 2. de jure Indiar. lib. 2. c. 7. Salmut. ad Panciroli. lib. 1. tit. 3. D. Nicolaus de Castro in l. unico Cod. de gladiat. n. 7. Antonius Matthæus de crimin. ad lib. 48. Pandect. tit. 12.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Homo liber naturali ratione, & jure à commercio exemptus est, l. in exemptione 36. §. omnium 1. de contrahend. emptio. ut rectè docuit Cujac. in l. 4. eod. tit. Abhorret enim à naturali hominum dignitate, ut sit homo merè alterius hominis permuteturque alius mercibus, aut comparetur pecuniâ is, cujus gratiâ pecunia inventa fuit, cæteraque fuerunt comparata, quæ humanis usibus possunt deservire, ut in simili casu Consulti loquuntur in l. 68. de usufructu, l. in pecudum 28. de usuris, l. justissime 44. de edilit. edicto, §. in pecudum, Instit. de rer. divis. Cicero enim ex sententia Chryssippi Stoici sapientiæ Principis agnovit hominum causâ omnia nata fuisse, lib. 3. de finibus: & Ovidius ingeniosè lib. 1. Metamorph. versu 76. cecinit, natum hominem fuisse ut posset inter cætera dominari: & Divinus Vates Psalm. 8.

<sup>3.</sup> Impugnatur tradita assertio.